

PA

277

.R7

LIBRARY OF CONGRESS.

[SMITHSONIAN DEPOSIT.]

Chap. FA277

Shelf .R7

UNITED STATES OF AMERICA.



DE
ASPIRATIONE VULGARI
APUD GRAECOS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM LIPSIENSIIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

VILELMUS HENRICUS ROSCHER.

37
11025 B

LIPSIAE

TYPIS MELZERI.

MDCCLXVIII.



100

PA 277
.R7

10077

LIBRARY

UNIVERSITY OF TORONTO

10077

INDEX CAPITUM.

	Pag.
Caput I: Exordium	1
„ II: Testimonia veterum scriptorum	4
„ III: Testimonia inscriptionum	12
„ IV: De aspiratione, quae in nonnullis vocabulis miro modo transponi videtur	34
„ V: De tenuium litterarum iuncturis aspiratis	40
„ VI: De chronologia aspirationis	43
„ VII: De formis <i>Ταργήλιος-Θαργήλιος</i>	50
„ VIII: De mediae et infimae Graecitatis aspiratione	52
„ IX: De pronuntiatione aspiratarum	53

CAPUT I.

EXORDIUM.

Quamquam recentiore tempore saepe de transitu tenuium Graecarum in aspiratas disputatum est, cum in multis vocabulis aspiratae ex tenuibus natae esse linguarum cognatarum comparatione demonstrarentur, tamen neminem, qui in hanc rem inquisiverit, latebit adhuc et permultas quaestiones ad singulorum vocabulorum explicationem pertinentes integras relictas esse nec omnino rationem historiam fines illius transitus satis cognita haberi. Mihi igitur propositum est totam hanc rem ita recognoscere, ut quaecunque ad eam illustrandam pertineant et adhuc neglecta esse videantur quam accuratissime colligantur, explicantur et maxime fines illius transitus luculenter describantur. Sed antequam recte procedere possit mea disputatio, opus est ea quam brevissime exponere, quae adhuc de illa re explorata habemus.

Ac primum quidem inter omnes constat etiam in multis aliis linguis, quae Indogermanicae vocantur: in lingua Sanscrita (cf. Grassmann in Kuhnii annal. XII. 101 et Schleicheri compendium pag. 162—172 ed. II), Bactriana (cf. Boppii gr. compar. I. 2. 69 et Schleich. l. l. pag. 186—188), Hibernica (cf. Schleich. pag. 281), Umbrica (cf. Aufrecht et Kirchhoff I. 78), Germanica, quibus accedit, ut postea docebo, etiam Latina, saepe tenues in aspiratas

transisse. Qui transitus facile inde explicatur, quod spiritus quidam tenui se adjunxit: quo factum est, ut aspirata evaderet. Apud Graecos vero in iis potissimum vocabulis aspiratum esse observatur, in quibus aut liquida vel nasalis tenuem sequitur (velut in *φροίμιον* = *προοίμιον* et *πλοχ-μός* a *πλέκ-ειν*) aut sibilans vel nasalis antecedit (velut in *σχίζω* a radice *σιζδ* et *ἔγχος* a radice *ἄκ*)¹⁾.

Deinde nonnunquam in iis quoque vocabulis tenuis in aspiratam transiit, ubi sibilans, liquida, nasalis non juxta inveniuntur, in quibus aspiratae explicari non possunt, nisi tenues omnino per se ipsas ad aspirationem propensas fuisse putamus: quod licet videre in verbis *δέχεσθαι* et *τυχεῖν* a radicibus *δεκ* et *τυκ* (cf. Ionicum *δέχεσθαι* et *πάνδοκος*, Homericum illud *τειλόχοιο* et vocabula *τύκος* et *Τειλχος*) et in perfectis aspiratis, quae post Curtii disputationem (cf. Erläuterungen z. m. griech. Schulgrammatik pag. 104 sqq.) nemo pro perfectis primis, quae dicuntur, habebit. Et enim omnium illorum vocabulorum tenuem antiquiorem esse luculente apparet non solum ex comparatione cognatarum linguarum aut earum formarum Graecarum, quae aperte tenuem servarunt, verum etiam ex illa observatione, quam ubique valere videmus: omnes linguarum sonos paullatim debilitari et tamquam adedi; nam si corroborarentur etiam tenues ex aspiratis nascerentur,²⁾ qui tamen transitus ne in uno quidem vocabulo adhuc demonstratus est (cf. Curtii elem. et. gr. pag. 458). Quae obser-

1) Fere eadem aspirationis leges etiam in aliis linguis observatae sunt, nam secundum Schleicherum (Comp. p. 169 et 172) in lingua Sanscrita tenui aspiratur, si *s* antecedit itemque in lingua Bactriana, si *j ç š v r n m* secuntur. Etiam in lingua Graeca sequens *σ* aspirationis vim habet, ut docet scriptura *χσ* et *φς* pro vetustissima *χσ* et *πσ* = *ξ* et *ψ* in inscriptionibus antiquioribus.

2) ex tenuibus nascuntur aspiratae, si clausura oris, qua ad tenues pronuntiandas opus est paullum laxatur, ut spiritus juxta evadere possit: cf. infra cap. IX. et omnino Brücke, Grundz. d. Physiol. d. Sprachlaute pag. 57—59.

vatio in iis maxime vocabulis magno nobis usui est, ubi modo tenuis modo aspirata scribitur et quorum etyma nec ex Graeca nec ex aliis linguis adhuc intellecta sunt. Hoc enim si quis mihi forte objiciet recentiores Graecos saepius pro aspirata tenuem pronuntiare, quod licet videre in *στοκάζομαι* pro *στοχάζομαι*, in *τέλω* pro *θέλω* aliis, deinde *αὔτις* factum esse ex *αὐθις*, denique in inscriptionibus saepe tenues pro aspiratis scribi, quae omnia adhuc non explicata sunt, infra ostendam tantum abesse, ut haec regulae illi repugnent, ut eam his, quae videntur, exceptionibus etiam confirmari perspiciamus.

Transeo igitur nunc ad rem gravissimam profitendam, quam statim accuratius demonstrare mihi propositum est: in lingua Graeca tenues cujusvis sedis, sive initio vocabuli sive vocalibus sive consonantibus omnis generis circumdatas, jam ab antiquissimis temporibus ad aspirationem propensas fuisse eamque quasi fluminis inundationem paullatim et certis gradibus crescentem postremo magnam partem linguae vulgaris veterum Graecorum occupasse, unde apparet etiam apud Graecos eandem mutationem tenuium initium cepisse, quam in linguis Germanicis praesertim perfectam absolutamque esse notum sit. Cum vero litterarum Graecarum, antequam aspiratio illa linguam vulgarem occupavit, magna pars jam exstiterit, non mirum est, quod in ipsis scriptoribus pro ingenti linguae materia pauca tantum vestigia reperiuntur, quae aspirationi illi vulgari vindicanda sint. Verum tamen hoc demonstrabo inde a quinto ante Chr. n. saeculo, quo tempore scriptores et poetae Attici efflorescere coeperunt et aspiratio vulgarem linguam inundavit, usque ad hunc diem, id est per antiquam mediam infimam Graecitatem, praesertim in iis vocabulis, quorum etymologia paullo obscurior esset, linguam vulgarem tam feliciter cum oratione urbana et expolita dimicasse, ut nonnunquam superior ex pugna discederet.

CAPUT II.

TESTIMONIA VETERUM SCRIPTORUM.

Exordior igitur ab ipsis testimoniis scriptorum veterum, quae adhuc propterea neglecta jacent, quia partim falsis conjecturis aut librariorum erroribus corrupta sunt, partim in diversis nec ita diligenter tractatis libris latuerunt. Quae testimonia in eo omnia consentiunt, quod binarum formarum in una tantum littera discrepantium tenui scriptam antiquiorem, aspiratam recentiore esse affirmant, partim vero aperte dicunt forma aspirata vulgares homines (qui ab Atheniensibus ξένοι, ab aliis Graecis χυδαῖοι, πολλοί, παραφθείροντες appellantur) usos esse. Quodsi ego ea quoque testimonia, quae non ipsis verbis linguae vulgaris mentionem faciunt, adscisco, videor mihi hoc jure facere non solum propter ceterorum locorum analogiam, verum etiam propter ipsam linguae vulgaris definitionem. Haec enim cum contraria sit linguae urbanae, qualis in litteris conspicitur, semperque crescat et immutetur sicut illae linguae, quae omnino carent scriptoribus, litterarum autem vis atque natura in conservatione et aequabilitate omnium formarum cernatur, mutationes ejus, quas ab ipsis scriptoribus testatas esse videmus, aliter intellegi non possunt, nisi eas ex lingua vulgari profectas esse statuamus.

I. Vetustissimum omnium idemque gravissimum testimonium est Platonis in Cratylo pag. 406A:

„*Ἀηθὴ δὲ ἀπὸ τῆς προάτητος τῆς θεοῦ, κατὰ τὸ ἐθελήμονα εἶναι ὧν ἂν τις δέηται. ἴσως δὲ ὡς οἱ ξένοι καλοῦσι· πολλοὶ γὰρ Ἀηθὴ καλοῦσιν· ἔοικεν οὖν πρὸς τὸ μὴ τραχὺ τοῦ ἡθους ἀλλ' ἡμερόν τε καὶ λεῖον Ἀηθὴ κεκλήσθαι ὑπὸ τῶν τοῦτο καλούντων.*“

Sic verba in codicibus leguntur, sed mirum in modum Stallbaumius et Hermannus alterum *Ἀηθὴ* in *Λειηθὴ* mutaverunt, quae forma, quamquam nusquam legitur, tamen a Stallbaumio excogitata est, ut etymologia nominis ex

Platonis sententia ex *λεῖος* et *ῥῆθος* compositi magis eluceret. At si *Λειηθώ* hoc loco recte se haberet, cui rei codices et linguae usus obstant, etiam alterum *Ληθώ* contra libros mss. in *Λειηθώ* mutandum esset, quoniam apertum est per *ἔοικεν οὖν* et quae secuntur illam peregrinorum pronuntiationem explicari. Quam ob rem Platonem utroque loco *Ληθώ* scripsisse idque ex *λεῖος* et *ῥῆθος* conflatum putasse nihil est quod codicibus diffidamus. Quod autem ad rem ipsam attinet, ex his verbis sine dubitatione hoc concludendum est: Platonem et alios ejusdem ordinis, id est cives Atticos *Λητώ* et *Ληθώ* pronuntiando bene discrevisse, peregrinos vero pro *Λητώ* *Ληθώ* pronuntiasse. Iam igitur quaerendum est, qui fuerint illi *ξένοι* Platonis vel potius Socratis, qui loquitur.

Quodsi usum huius vocabuli et apud Platonem et apud alios scriptores Atticos perlustramus, apparet omnibus iis locis, ubi aut simpliciter de peregrinis agatur aut *ἄστοί* et *ξένοι* inter sese opponantur (cf. Gorg. 514 ε et 515 A, Theaet. 145 B, Apol. 17 D, Thucyd. 2. 34. 4 et 2. 36. 4 etc.) non solum eos peregrinos appellatos esse, qui Athenas iter facerent negotiandique causa breve tantum tempus ibi versarentur, verum etiam eos, qui aliunde emigrantes Athenis domicilia sua ponerent ideoque plerumque *μέτοικοι* vocarentur. Hanc rem non solum Boeckhius Staatsh. ed. II. vol. I p. 195, Hermann, Staatsalt. §. 115. 3, Platner, Beiträge z. Kenntniss d. att. Rechts pag. 107 agnoscunt, sed etiam hi loci a me collecti ostendunt, ubi inquilini aperte *ξένοι* appellantur:

Aristoph. equit. 346 sq.: „*Ἀλλ' οἷσθ' ὅπερ πεπονθέναι δοκεῖς; ὅπερ τὸ πλῆθος, || εἴ ποῦ δικίδιον εἶπας εὐ κατὰ ξένον μετοίκου*“ (Prorsus similiter Soph. Oed. tyr. 452 Oedipus *ξένος μέτοικος* Thebanorum appellatur.)

Demosth. 57. 55: „*εἴτ' ἐγὼ ξένος; ποῦ μετοίκιον* (id est *τὰ ξενικά* cf. Lex. Seg. s. v. *ἰσοτελεῖς*) *καταθεῖς*“ ubi quaeritur, utrum Euxitheus *ἄστος* sit, an *μέτοικος*, quae causa *ξενίας γραφή* appellabatur secundum Polluc. onom. γ. 57.

Idem 20. 29, ubi de tributis civium peregrinorum eorumque, qui *ἰσοτελεῖς* vocabantur, agitur.

Hesych. s. v. *μέτοικοι*· οἱ ἐνοικοῦντες ξένοι ἐν τῇ πόλει κ. τ. λ.

Lex. Seg. s. v. *ἰσοτελεῖς*· μέτοικοι τὰ μὲν ξενικὰ τέλη (id est τὸ μετοίκιον) μὴ τελοῦντες, τὰ δὲ ἴσα τοῖς ἀστοῖς τελοῦντες. Accedit denique magna illa series stelarum sepulchralium in Attica repertarum, quae magnam partem ad inquilinos pertinent (non enim credibile est tam multos peregrinos iter tantum facientes Athenis mortuos esse) semperque patriam mortui profitentur. Cf. corpus inscr. Gr. vol. I s. v. „tituli Attici privati“ et Rangabé antiq. hellen. II no: 1798 sqq. — Iam vero cum sciamus (cf. Frohberger, de opificum apud veteres Graecos condicione I cap. 3, Grimae 1866 et Fleckeiseni annall. 1867 pag. 11 sq.) opifices et negotiatores Atticos fere omnes inquilinos fuisse, quorum numerus florente republica circiter XLV milium fuit et qui ab ipsis civibus tamquam *βάνανσοι* contemnebantur, verisimillimum est eorum pronuntiationem, ubi urbanae opponatur, ad vulgaris sermonis notionem referendam esse. Quod quam recte disputatum sit, non solum ex ceterorum testimoniorum analogia, sed etiam ex inscriptionibus vasorum Atticorum, quae haud dubie fere omnia ex inquilinorum officinis prodierunt plurimaque aspirationis vulgaris exempla exhibent, infra apparebit.

II. Strabo VII. 315 de insula Pharo ad oram Liburniae sita haec dicit:

„Φάρος ἢ πρότερον Πάρος, Παρίων κτίσμα, ἐξ ἧς Δημίτριος ὁ Φάριος“ et paullo post: „τοῖς δὲ Ἀρδιαίοις [scil. πλησιάζει] ἢ Φάρος Πάρος λεγομένη πρότερον. Παρίων γὰρ ἐστὶ κτίσμα.“ Consentit Stephanus Byz. s. v. Πάρος in fine: „ἐστὶ καὶ ἄλλη Πάρος νῆσος Λιβυρῶν, ὡς φησι Σκύμνος ὁ Χῖος ἐν πρώτῳ περιηγήσεως,“ unde videmus Scymnum, qui eodem fere tempore, quo Strabo, floruit, nondum recentiorem scripturam sicut Polybium (II. 11, III. 18, V. 108, VII. 9), Ephorum (cf. Steph. Byz. s. v. Φάρος),

Diodorum (I. 31, XVII. 52) secutum esse. Saepius autem colonias ab iis urbibus, unde conditae essent, nomina sua accepisse inter multa alia exempla docent Salamis, Miletus, Issa. Ceterum secundum hos locos, quos modo attuli, emendandus est Eratosthenes apud scholiastam ad Apoll. Rhod. Δ 1215: „μετὰ Ἰλλυριοὺς Νεσταῖοι, καὶ οὓς νῆσος Φάρος Παρίων (Keilius et cod. Laur. Φαρίων) ἄποικος.“

III. Suidas s. v. Πύγελλα haec tradit:

„τόπος ὁ παρ' ἡμῖν λεγόμενος Πύγελλα“ κ. τ. λ. et paullo post: „Πύγελα· πόλις ἐν τῇ Ἰωνίᾳ τὰ Πύγελα. λαβεῖν δὲ τὸ ὄνομα, ἐπειδὴ τῶν μετὰ Ἀγαμέμνονός τινες νοσίσαντες τὰς πνυγὰς ἐνταῦθα κατέμειναν.“ Idem testatur Eustath. ad II. B pag. 310. 5: „πνυγῆς δὲ παρώνυμα καὶ τὰ περὶ τὴν ἀντικρὺ Χίου, πάλαι μὲν Πύγελλα, παρὰ δὲ τοῖς μετὰ ταῦτα Φύγελλα λόγῳ παραφθορᾶς.“

Propter hanc aspirationem recentiorem etiam nova etymologia excogitata est, quam profert Plinius hist. nat. V. 114: „Iuxta a *fugitivis* conditum, uti nomen indicio est, Phygela fuit et Marathesium oppidum.“³⁾ Iam vero etiam illud intelligitur, qui fiat, ut vetustiores scriptores velut Lysias et Theopompus (apud Harpocrat. s. v. Πύγελα) et Xenophon (Hell. I. 22. 2) itemque Strabo et Livius formam tenui scriptam, recentiores vero Plinius, Pomponius Mela, Galenus, Dioscorides aspiratam habeant.

IV. Phrynichus (ed. Lobeckii pag. 398) s. v. σκνιφός haec dicit: „κατὰ διαφθορὰν οἱ πολλοὶ λέγουσι τὸν γλίσχρον καὶ μικροπρεπῆ περὶ τὰ ἀναλώματα. οἱ δ' ἀρχαῖοι σκνῖπα καλοῦσιν ἀπὸ τοῦ θηριδίου τοῦ ἐν τοῖς ξύλοις κατὰ βραχὺ κατεσθίουτος,“ ubi vide Lobeckii annotationem. Prorsus⁹ consentit Thomas Magister pag. 336 ed. Ritschl, nisi quod veteres non σκνῖπα sed σκνιπὸν dixisse tradit, id quod iam Pauwius Phrynicho restituendum esse intellexerat, nam non solum α et $\sigma\nu$ constanter in libris

3) Verisimile igitur est omnino eos, qui formam aspiratam praeferrent, falsa illa etymologia (φυγεῖν) usos esse.

mss. inter sese commutantur (cf. Bastii comm. palaeogr. pag. 743 et 771) sed etiam Etymol. magn. s. v. *σκνιπός* et Hesych. s. vv. *σκνιπός*, *σκνιπόν* et *σκνίψ* aperte dicunt *σκνιπός* vel *σκνιφός* hominem illiberalem, *σκνίψ* autem, unde accusativus *σκνίπα*, bestiolam significare. Quod vero ad etymologiam huius vocabuli (*σκνιπός* dico) attinet, non improbable videtur iam veteres grammaticos recte iudicavisse, qui τὸν *σκνιπόν* et τοὺς *σκνίπας* communem originem habere (cf. Etym. m. l. l.) putaverunt. *Σκνίψ* autem, quod apud Suidam s. v. *σκνίψ* et apud Hesych. s. v. *κνίψ* „ζῶον ὁμοιον κώνωπι“ et „πτηνόν“ (cf. etiam Hesych. s. v. *σκνίψ*) appellatur, haud dubie cognatum est verbis *σκνίπτω* (= *νόσσω* ap. Hesych.), *κνάπτω* et *κνίζω*, quae omnia ad pruritionem et pruritus talium bestiarum pertinent. Apud scriptores ecclesiasticos Latinos etiam forma cinifes invenitur, qui certe non diversi sunt a Graecis *σκνῖρες* vel *κνῖρες*.

V. Photius in lex. s. v. „πᾶνος⁴⁾· δέσημη κληματίδων· οἱ δὲ νεώτεροι Ἀττικοὶ φᾶνον· Ἀριστοφάνης.“ Cf. eundem s. v. „φᾶνος· λαμπὰς ἢ ἐκ κλημάτων· οὕτως Μένανδρος“ et Eustath. ad Il. 1189. 24: „ἴστέον δὲ ὅτι το παρ’ Ὀμήρῳ σέλας πυρὸς, ἴγτοι πυρσόν, φᾶνον οἱ νεώτεροι εἶπον Ἀττικοί. ὁ δ’ αὐτὸς καὶ πᾶνος, ἀπὸ τοῦ φαίνειν σχηματισθεῖς, φασι, κατὰ μεταβολὴν τοῦ φ, οἷον „πανοῦχον ἄξαντες φλόγα,““ quod veteris tragici vel comici fragmentum esse videtur.

4) Equidem constanter *πᾶνος* et *φᾶνος*, non *πανός* et *φανός* scribo Arcadio auctore, apud quem pag. 63. 8 sic legendum est: *Τὰ εἰς ἀνὸς δισύλλαβα κύρια ὄντα ἢ προσηγορικά, (μὴ) ἔχοντα διαστολήν, βαρύνεται· Τᾶνος* (urbs Cretae et flumen Cynuriae), *Φᾶνος τὸ κύριον* (cf. Aristoph. eq. 1256 et Lehrs, Arist. ed. II pag. 280) *πᾶνος ὁ λύχνος* (sic Lehrsius *δίφρος*, quod est in codd., emendavit). *τὰ μέντοι ἐπιθετικά ἢ προσηγορικά μὴ (μὴ) ἀβέστ in codd.) ἔχοντα διαστολήν ὀξύνεται· φανός* (hoc corruptum aut falsum, *φανός* enim *a* longum habet). *τὸ δὲ πᾶνος βαρύνεται καὶ τὸ νᾶνος ὁ μικρός.* Recte enim iudicat Lehrsius l. l. hoc loco *μακροπαράληκτα* et *βραχυπαράληκτα* partim epitomatoris partim librariorum culpa commutata esse. Cf. etiam Herodianum ed. Lentz I. p. 175.

Haec testimonia ipsorum scriptorum locis optime confirmantur, nam tragici solum *πᾶνος* dixisse videntur (cf. Eur. Ion. 195 et 1294, Aesch. Ag. 284, vide etiam Athen. 15. 700, Poll. 10, 117, Phot. lex. s. v. *πᾶνον*), comici vero Alexis, Anaxandrides, Nicostratus, Philippides secundum Athenaeum (15.700) et Menander secundum Photium (s. v. *φᾶνος*) scripserunt *φᾶνος*, quamquam hic cum Diphilo, si codices Athenaei sequi velis, in Anepsiis etiam vetustiore formam admisisse videtur. Non autem illud praetermittere possum Ammonii testimonio certissimo hanc meam observationem confirmari, dicit enim pag. 90 ed. Valcken. haec: „*φᾶνον τὴν λαμπιάδα. καὶ οἱ μὲν κωμικοὶ διὰ τοῦ φ, οἱ δὲ τραγικοὶ διὰ τοῦ π πᾶνον.*“ Intelligendi autem sunt hoc loco recentiores comici, nam apud Aristophanem in Lys. v. 308, ubi nunc *φᾶνος* legitur, ex Photii et Eustathii testimoniis, quae ceteris omnibus, quos novimus, veterum Atticorum locis confirmantur, *πᾶνος* legendum est neque obstat scholiastae adnotatio „*φᾶνον (lego πᾶνον) μὲν πᾶν τὸ φαῖνον ἐκάλουν,*“ nam etiam *πᾶνος* „*κατὰ μεταβολὴν τοῦ φ,*“ ut ait Eustathius, a veteribus grammaticis a *φαίνειν* derivatum est.

Cum igitur formam *πᾶνος* antiquiorem esse manifestum sit, assentiri non possum Curtio in elem. etym. gr. pag. 267, qui *φᾶνος* a *φαίνειν* derivat. Hanc enim etymologiam statui vix posse docet forma grammaticorum et ipsorum locorum testimoniis antiquior *πᾶνος*, quod non solum in forma sed etiam in re — significat enim non omne genus facis sicut *λαμπάς, δᾶς, πωρός, φάνη* sed speciem quandam ex assulis compositam (cf. imaginem apud Bötticherum in diar. archaeol. Gerhardi 1858 no. 116 sq., Phrynich. Bekk. 50. 27, schol. ad. Ar. Lys. 308, Athen. 700 B) — plane congruit cum *φᾶνος*, nec credibile est rem tam singularem duobus nominibus similis sed diversae originis notatam fuisse, praesertim cum eodem tempore, quo altera forma ex usu evanescit, altera nascatur.

Quae cum ita sint, ut origo horum vocabulorum inveniantur, ante omnia forma antiquior quam habeat etymologiam quaerendum est, itaque conicio $\pi\tilde{\alpha}\nu\omicron\varsigma \sigma$ in principio deleto — quod quidem saepissime fit (cf. Curtii el. pag. 621 —25) — natum esse ex radice $\sigma\pi\alpha$, unde $\sigma\pi\acute{\alpha}\omega$, $\sigma\pi\acute{\alpha}\delta\iota\omicron\nu$ = $\sigma\iota\acute{\alpha}\delta\iota\omicron\nu$, Germanicum *spannan* et *spahn*⁵⁾ (cf. Curtii el. pag. 245) et spatium apud Latinos derivanda sunt, quae cum explicatione grammaticorum interpretatio ($\delta\acute{\epsilon}\sigma\mu\eta \kappa\lambda\eta\mu\alpha\iota\delta\omega\nu$, id est „Bund von Spähnen“) optime congruit.

VI. Sextum testimonium indagasse mihi videor apud Varronem de lingua lat. V. 103, si quidem hoc loco coniectura mea probatur. Puto enim hunc locum ita restituendum esse: „Quae in hortis nascuntur alia peregrinis vocabulis ut Graecis ocimum, menta, ruta, quam nunc $\pi\acute{\eta}\gamma\alpha\nu\omicron\nu$ appellant. Item caulis, lapathum, *rapanus*;⁶⁾ sic enim antiqui Graeci, quam nunc raphanum.“

Pro *rapanus* codices legunt *radix*, quod Müllerus propterea ferri non posse intellexit, quia $\acute{\rho}\acute{\alpha}\delta\iota\varsigma$ apud Graecos non *rapanum* sed *ramum* significat, Scaligerum igitur secutus legi iussit $\acute{\rho}\acute{\alpha}\pi\upsilon\varsigma$, quod, etsi a tradita scriptura haud multum abhorret, tamen falsum est, nam $\acute{\rho}\acute{\alpha}\pi\upsilon\varsigma$ id est *rapa* vel *rapum* non solum nunquam, quod sciamus, *raphanum* (Rettig) significat, sed etiam omnino apud Latinos non exstare videtur. Equidem igitur ad huius loci emendationem tria postulanda esse ratus, ut vox restituatur, quae simul apud Graecos et Latinos reperiat, deinde quae idem significet atque *raphanus*, denique quae postea per radicem explicari potuerit, conicio „*rapanum*“ nec video, quid huic ratiocinationi repugnet. Namque formam vetustiore $\acute{\rho}\acute{\alpha}\pi\alpha\nu\omicron\nu$ apud ipsos Graecos exstitisse et postea, maxime apud Atticos, in aspiratam transisse docent Mo-

5) aptissime nostrum „*spahn*“ a *Kuhnio* comparatur cum Graeco $\sigma\phi\acute{\eta}\nu$: cf. Curtii ell. p. 441.

6) Aut ita: „*rapanus* radix; sic enim“ et. q. s. ut radix sit interpretamentum vocis *rapani* ab ipso Varrone additum, ut G. Curtius, praeceptor meus, probabiliter coniecit.

schopulus in sylloge vocabull. Attic. et Ammonius ed. Valcken. pag. 122, qui eundem auctorem secuti uno consensu haec tradunt: „*ῥάφανον μὲν οἱ Ἀπτικοὶ λέγουσιν τὴν παρ' ἡμῶν κράμβην· ῥαφανίδα δὲ τὴν παρ' ἡμῶν ῥάφανον.*“ Cf. etiam Thom. Mag. ed. Ritschl pag. 323. 2 „*οἱ δὲ Ἴωνες ῥέπανον τὴν ῥαφανίδα λέγουσιν.*“ Formam tenui scriptam etiam apud posteriores scriptores conservatam esse docet Ducangius in glossario mediae et inf. Graecitatis, qui ex Demetrio Zeno *ῥαπάνια*, ex Agapio et Myrepto *ῥεπάνιον* et *ῥεπανίς* affert, deinde notum est raphanum a Graecis recentioribus *ῥαπάνι*, id est *ῥαπάνιον* vocari. Apud Latinos vero, antequam saeculo septimo exeunte constanter aspiratum est (cf. Ritschl, Monumenta epigr. III pag. 27), necesse fuit rapanus scribere, quod quam facile in radix corrumpi potuerit intelligimus ex interpolatore Dioscoridis II. 137, qui tradit raphanum a Romanis etiam radicem nostratam (*ῥάδιξ νοστράς*) vocatam esse, unde satis apparet „radix“ nostro loco pro interpretamento addi potuisse.

VII. Galenus de facultat. alimentt. pag. 541 haec adnotat: „*τὴν ὑστάτην συλλαβὴν τοῦ τῶν ἀράκων ὀνόματος διὰ τοῦ κ γεγραμμένην εὐρίσκομεν ἐν ταῖς Ἀριστοφάνους Ὀκλάσιν...., παρ' ἡμῶν δὲ ἄγριόν τι καὶ στρογγύλον καὶ σκληρόν, ὀρόβον μικρότερον, ἐν τοῖς Δημητρίοις καρποῖς εὐρίσκόμενον ὀνομάζουσιν ἄραχον οὐ διὰ τοῦ κ τὴν ἐσχάτην συλλαβὴν, ἀλλὰ διὰ τοῦ χ φθεγγόμενοι*“ κ. τ. λ., quo in loco animadvertendum est Galenum, quamquam sua aetate in hoc vocabulo aspiratum esse luculenter narret, tamen antiquiores scriptores secutum constanter ἄρακων scribere, Theophrastum vero in vocabulo inde derivato *ἀράχιδνα* (cf. hist. pl. I. 1. 7 et 16. 12) et auctorem tituli 5149 C. I. Gr., ubi *Ἄραχος* legitur, quod nomen certe non diversum est ab *Ἄρακος* apud Plutarchum, Diodorum, Pausaniam, Xenophontem, aspirationi vulgari iam cessisse.

VIII. Eustathius ad II. pag. 941. 23: „*ποιητικὴ δὲ λέξις τὸ ἐρεικόμενος καὶ τὸ αὐτοῦ θέμα τὸ ἐρείκω, ἐξ οὗ φυτόν τε ἐρείκη, ὃ παραφθείροντες οἱ χυδαῖοι ἐρείκην φασί* etc.

Apparet hoc loco pro *φυτόν τε* scribendum esse *φυτόν τι*, quae quidem vocabula secundum Bastium in comment. palaeogr. pag. 845 saepissime inter sese confunduntur.

IX. Idem Eustathius ad Od. pag. 1481. 32 hoc testatur: ... „οἱ δὲ χυδαῖοι τὸ τοιοῦτον κάπτω (quod etiam apud Aristophanem legitur) κάπτω ᾧ φασί.“ — Cf. eundem pag. 1817. 50: ... „χοῖσις δὲ τοῦ ἐγκάψαι, ὃ ἐστὶ φαγεῖν καὶ ἰδιωτικῶς εἰπεῖν κάψαι“... Inde secundum legem quandam, quam infra accuratius tractabo, apud recentiores Graecos factum est *κάψτω*, id est „manger avidement.“

X. Sequitur nunc ultimo loco testimonium Erotiani in vocum Hippocratt. conl. (ed. Klein, Lips. 1865 pag. 58), quod, si recte restitui, sic legendum est: „βήχιον· βοτάνης εἶδος, ὃ βηχίαν καὶ βήχιον καλοῦμεν.“ Apud Kleinium editum est βήχιον· βοτάνης εἶδος, ὃ βηχίαν καὶ βήχιον καλοῦμεν. Apparet autem Erotianum scripturae Hippocrateae eas formas, quibus aequales sui usi sint, opponere velle. Iam vero, cum duo optimi codd. B et C, quos Kleinus sequitur (cf. praefat. pag. 58), praebeant: „βηχίαν· βοτ. εἶδ. ὃ βηχ. κ. τ. λ., deinde forma βήχιον non solum in glossariis antiquis (cf. Stephani thes. s. v. βηχία) sed etiam apud interpolatorem Dioscoridis (cf. Ducangii gloss. s. voce) inveniatur, denique aequales Erotiani velut Plinius, Dioscorides et medici posteriores aspirata forma constanter utantur, vix dubito, quin mea emendatio satis praesidii habeat. Confirmat hoc quodammodo etiam Hesychii glossa βηχ-ώνιον· εἶδος βοτάνης, quod a bechio vix multum abest. De suffixo -ώνιος egit Lobeckius in pathol. proll. pag. 429.

CAPUT III.

TESTIMONIA INSCRIPTIONUM.

Sequitur nunc alterum genus testimoniorum, quod continetur inscriptionibus et ad aspirationem vulgarem recte

7) κάπτω etiam affertur in Etymol. magno s. v. κνάμψω.

cognoscendam vix minoris momenti est quam ipsorum scriptorum loci modo allati. Videmus enim inde ab initio saeculi quinti ante Chr. n. usque ad infimam veteris Graecitatis aetatem non solum in inscriptionibus lapidariis sed etiam in papyris, quae nobis relictæ sunt, tam saepe aspiratas pro tenuibus et tenues pro aspiratis scribi, ut, quamquam fere trecenta exempla congeffi, tamen mihi verendum sit, ne multo plura neglexerim. Qua ex re certe hoc concludendum est has litteras, scribendo inter se mutatas, etiam in pronuntiatione saepius confusas esse. Similiter in inscriptionibus Graecis, ubicumque η ϵ ι aut α ϵ et ϵ confusa sunt, sine ulla dubitatione concludendum est id quod etiam aliunde scimus: tales titulos iam ad eam aetatem referendos esse, qua η et ϵ in ι , α in ϵ transierint.⁸⁾ Omnes autem eiusmodi confusiones multo saepius in privatis quam in publicis inscriptionibus inveniuntur: neque id mirum, illarum enim auctores saepe homines ineruditi fuerunt, hae vero semper ad tabellarum publicarum exemplaria excudebantur, quae quanta cum diligentia et cura compositae sint sciet quicumque Atheniensium titulos publicos obiter tantum inspexerit. Iam igitur, si certum est aspiratas et tenues in lingua vulgari saepius confundi, duplex via patet, qua confusiones illae explicari possint: aut enim litterae tenues aspiratarum aut contra aspiratae tenuium sonum habuerunt. Hanc vero alteram rationem quominus sequamur, duae potissimum causae prohibent, quas statim enumero. Ac primum quidem obstant decem illa testimonia scriptorum modo allata, quae quidem omnia in eo consentiunt saepe in lingua vulgari tenues in aspiratas transisse nec unus quidem testis antiquus excitari potest, qui contrariam mutationem tueatur. Deinde huic rationi repugnat omnis natura et historia linguae. Etenim si certum est linguam per se, nisi certae caussae, quas infra tractabo, accedant, non

8) Idem cadit in confusionem litterarum b et v apud Latinos: cf. Corsen, Ausspr. etc. pag. 131—32 (ed. II.).

ad corroborandos sed debilitandos sonos inclinare: non probabile est ex aspiratis tenues fieri, praesertim cum hic transitus vix in uno vocabulo antiquo sit demonstratus (cf. Curtii el. pag. 458). Quam ob rem quin altera via, quae sola testimoniis antiquis et ipsius linguae historiae et naturae convenit, sequenda sit, non est quod dubitem. Sed antequam ipsa exempla, quae collegi, enumero, paucis verbis examinanda est O. Jahnius opinio (qui primus, quod sciam, hanc tenuium et aspiratarum confusionem in titulis Atticis observavit), quam proposuit in scriptis societatis Lipsiensis t. VIII pag. 739:

„Der Gebrauch des χ statt κ findet sich — abgesehen von den zahlreichen Fällen, wo in flüchtiger Schreibweise beide Buchstaben leicht verwechselt wurden — nicht selten so, dass volksmässige Aussprache als Grund betrachtet werden muss; wofür die Schreibung der Töpfernamen $\chi\acute{o}\lambda\chi\omicron\varsigma$, $\chi\alpha\chi\rho\upsilon\lambda\acute{\iota}\omicron\nu$ als Beleg dienen mag, ferner $\epsilon\chi\theta\omicron\rho$ statt $\epsilon\kappa\theta\omicron\rho$ (C. I. 7673) $\lambda\acute{\alpha}\chi\nu\theta\omicron\varsigma$ statt $\lambda\acute{\alpha}\kappa\nu\theta\omicron\varsigma$ (C. I. 8498) auf Vasen, $\theta\nu\eta\chi\acute{o}\omicron\varsigma$ statt $\theta\nu\eta\kappa\acute{o}\omicron\varsigma$ (C. I. 160. 7), $\chi\acute{\alpha}\lambda\chi\alpha\iota$ statt $\kappa\acute{\alpha}\lambda\chi\alpha\iota$ Rangabé 56 A 50) auf att. Inschr. und die verwandte Erscheinung in den Namen von Vasenmalern $\theta\nu\phi\epsilon\iota\theta\acute{\iota}\delta\epsilon\varsigma$ (d. h. $\theta\epsilon\nu\pi\epsilon\iota\theta\acute{\iota}\delta\eta\varsigma$ ⁹⁾, $\Phi\alpha\nu\phi$. . . , was schwerlich für $\Pi\alpha\nu\phi\alpha\acute{\iota}\omicron\varsigma$ zu nehmen ist, da dieser Name 17 mal mit Π geschrieben und mit $\epsilon\pi\omicron\iota\eta\sigma\epsilon\nu$ vorkommt, während dieses einmal mit $\epsilon\pi\omicron\iota\epsilon\iota$ verbunden sich findet und ebenso gut z. B. $\Pi\acute{\alpha}\mu\phi\iota\lambda\omicron\varsigma$ sein kann,¹⁰⁾ $\theta\alpha\lambda\theta\acute{\upsilon}\beta\iota\omicron\varsigma$ (Mon. ined. 6. 19); $\theta\rho\acute{o}\phi\omicron\varsigma$ (C. I. 8139, 8185).“

Hac cum adnotatione conferenda sunt, quae idem Jahnius pag. 748 de contraria confusione, cuius pauca tantum exempla affert, dicit:

„Unter den zahlreichen Beispielen von Inkorrektheiten in Wortformen und Orthographie . . . finden wir auch sonst Wörter, in denen offenbar unter dem Einfluss einer

9) Cf. tamen infra pag. 88.

10) Cf. tamen infra pag. 87.

härteren Aussprache die Tenuis an die Stelle der Aspirata getreten ist, obgleich viel häufiger die den Attikern gewöhnliche Neigung für die Aspiration hervortritt.“

Putat igitur Jahnius duplicem in Attica pronuntiandi rationem fuisse; quod non solum iis de caussis, quas supra attuli — nam si Jahnium sequeremur, etiam transitus aspiratarum in tenues statuendus esset — sed etiam propterea non recte se habet, quod interdum in eodem vasculo aut titulo attenuatio, ut ita dicam, et aspiratio iuxta apparent (velut in *Καριθαῖος* pro *Χαριταῖος* pag. 83 et in illo vasculo, ubi *Ἀριστοχοράθης* et *Πίλιπος* iuxta scribuntur), unde secundum Jahnium concludendum esset, quod ab omni specie veritatis abhorret, eosdem homines modo alteram modo alteram pronuntiationem secutos esse. Accedit etiam quod numerus earum inscriptionum, ubi tenuis pro aspirata posita est, accuratiore inquisitione instituta titulos contrarii generis plane exaequat.¹¹⁾

Transeo igitur nunc ad exempla ipsa, semper ita disposita, ut quae eiusdem originis sunt eodem conspectu comprehendi possint. Vasa autem in Italia superiore reperta propterea inter Atticas inscriptiones enumerantur, quia dubitari vix potest, quin Jahnius Kramerus Müllerus, qui imprimis doctrinam vasculariam callent, recte iudicaverint omnia eiusmodi vasa Atticis officinis vindicanda esse (cf. O. Jahn, Beschreibg. d. Vasensammlg. König Ludwigs, Einleitg. pag. CCLL).

I. A: X ponitur pro K:

in Atticis titulis et vasculis:

In amphora Clitiae (sic) et Ergotimi vetustissima, quae multis argumentis, formis litterarum, Hippothoontis imagine — qui quidem proavus Hippothoontidis demi fuit — crobylis (cf. Thuc. 1. 6. 2), denique nominibus quae inveniun-

11) Errat igitur etiam Voretzsch, de inscr. Cret. pag. 16 sq., qui Cretenses duplicem pronuntiationem secutos esse putavit.

tur in choro Thesei statim Attica esse evincitur, haec nomina apparent:

1. [Ὅ] *χεανός* pro Ὠκεανός } cf. praeter Jahnum I. I.
 2. *Χάσιτωρ* „ *Κάσιτωρ* } pag. CLH sqq. apographa
eius vasis in Monum. ined.
- d. inst. IV. t. 54—57 et Archaeol. Ztg. VIII t. 23—24.
3. *χάλχας* pro *κάλχας* legitur apud Rangabé, ant. hell. I. 56 A 50, in inscriptione publica.
 - 4—7. *θνηχόος* pro *θνηκόος* quater legitur in inserr. publicis:
 - a) in inser. apud Vischerum in novo museo Helvetico 1863 n. 36. pag. 20.
 - b) C. I. Gr. 160 §. 7 a col. I. 7 pag. 263.
 - c) „ „ „ „ „ 12 c „ II. 95 „ „ b.
 - d) apud Rangabé, I. I. 57 A 60.

Hanc aspiratam formam etiam a scriptoribus receptam esse docent Photius in lex. s. v. *θνηχόος* et Eustath. pag. 1601. 3. Cf. etiam C. Keilium in Philologo XXIII pag. 256 sqq. ¹²⁾

8. *χόνις* pro *κόνις* C. I. Gr. 1034 in inser. privata.
 9. *Κυμω[δ]όχη* = *Κυμοδόχη*, nomen Nereidis (cf. Il. 18. 39, Hes. Theog. 252) in vasculo Athenis reperto apud Overbeck, Gallerie heroischer Bildwerke pag. 194. ¹³⁾
 - 10—12. *Χαλχεδόνιοι* pro *Καλχηδόνιοι* ter legitur in inserr. publ. apud Boekhium, Tributlisten IV. 1, LIV. 56, C. Cf. infra cap. IV.
 13. *Ἐτέ[οικλ]ος Ἄρχαδος* = *Ἄρχαδος*: C. I. Gr. 195. I. 18 et Keil spec. onomatologi Graeci pag. 94.
- In vasculis, quae in Italia superiore reperta sunt:
14. *Χόλχος* = *Κόλχος*, nomen figuli: cf. Brunn, Künstler-Gesch. II pag. 705, Gerhard, Auserl. Vas. II t. 122—123, C. I. Gr. 8239.

12) Ii qui *θνηχόος* scripserunt hoc vocabulum a verbo *χεῖν* falso derivasse videntur.

13) *Κυμοδόχη* haud dubie analogiam formae *δέχομαι* sequitur.

15. *Χαρουλίον* = *Καρουλίον*, nomen figuli: cf. Brunn, l. l. p. 702—4, C. I. Gr. 8231—37 et 8160.

16. *Νίκαρχος* = *Νίκαρχος* cf. Jahn in serr. societ. Lips. 1861 pag. 739.

17. *Χλαύχε* = *Γλαύκη* cf. Monum. ined. I. 38, Gerhard, Auserl. V. III. pag. 68, C. I. Gr. 8354.

18. *Νιχόμαχος*: cf. Jahn, Beschreibg etc. adnot. 1267.

19. *Χλίσσοφος* = *Κλείσοφος*: cf. Annali d. inst. III adnotat. 184.

20. *Εὔταχος* = *Εὔτακτος*: cf. Ἐφημερίς ἀρχαιολ. no. 3262. 52 et Keilium in Philologo 1865 pag. 259.

21. *Χυδίας* = *Κυδίας* cf. Jahn, l. l. adnot. 1267.

Secuntur nunc ceterae Graeciae tituli, quibus, ubi licuit, loca, quibus reperti sunt, addidi:

22. *Ἀποχράτει* = *Ἀ[ρ]ποχράτει* (Epirus) secundum Boissonnadium C. I. Gr. 1800. 2. De eodem vitio cf. n. 35 et 36 inserr. Deliacas.

23. *[Ο]ιολύχον* = *Οιολύκον* (locus incertus): C. I. Gr. 1936. 20 (coll. 5258 et Herod. 4. 149).

24. *Φαλάχρον* = *Φαλάκρον* (ibid.): C. I. Gr. 1936. 26.

25. *Χαλχηθονίσις* = *Καλχηθονίσις* (ibid.): C. I. Gr. 1936. 31. Cf. supra n. 10—12 et infra n. 45.

26. *Ῥουσιτιῶ¹⁴⁾* = *Ῥουσιτιῶ* (Pydna): C. I. Gr. 1954.

27. *Χρῖσι[π]ου* = *Κρῖσπου* (Apollonia Thrac.): C. I. Gr. 2052. 7.

28. *Χούνα[γ]ος* = *Κούναγος* (Olbiopolis): C. I. Gr. 2070.

29. *Μάρχον* = *Μάρκον* (Sarmatia): C. I. Gr. 2078.

30. *Μάρχω* = *Μάρκω* (Olbia): C. I. Gr. 2090.

31. *Χυζικηρῶν* = *Κυζ.* (Samothrace): C. I. Gr. 2157.

32. *ἐκ τῶν¹⁵⁾* = *ἐκ τῶν* (Chius): C. I. Gr. 2241.

33. *Λύχον* = *Λύκον* (Samus): C. I. Gr. 2251.

14) Fortasse hoc nomen falso ad analogiam formarum deminutivarum in *-ιχος* fictum est.

15) Similia exempla sub n. 20. 44 et 47 attuli.

34. Ἀρχιδίχου = Ἀρχιδίκου (Aegialus): C. I. Gr. 2264^k (Add.)
 35. Ἀρποκράτει ¹⁶⁾ = Ἀρποκράτει (Delus): C. I. Gr. 2297. 13.
 36. item. (ibid.): C. I. Gr. 2302. 5—6.
 37. ἐπὶ καιρόν = ἐπὶ καιρόν. (Zea): C. I. Gr. 2360. 38.
 38. βεβληχῶν = βεβληχ[ῶ]ν (ibid.): C. I. Gr. 2360. 7.
 39. ἐννεαδεχέι[ις] (Pholegandrus): C. I. Gr. 2445. 3.
 40. Μάρχου = Μάρκου (Cos): C. I. Gr. 2519.
 41—42. Ἀκάμας = Ἀκάμας (Creta): C. I. Gr. 2554.
 157 et 170.
 43. γεινόσχη = γινόσχη (Thyatira): C. I. Gr. 3487. 25.
 44. ἐχδικῆσαι = ἐδικῆσαι (ibid.): C. I. Gr. 3488. 6.
 Ceterum cf. n. 32 et 47.
 45. Καλλιθονίων (Calchedon): C. I. Gr. 3793. Cf. supra
 n. 10—12, inscr. Atticas et n. 25.
 46. εἴχοσι = εἴκοσι (Pompejopolis): C. I. Gr. 4155. 10.
 47. κατέχτανεν = κατέκε. (Sagalassus): C. I. Gr. 4377.
 5. Cf. supra n. 32.
 48. κλειόν = κλειόν (ibid.): C. I. Gr. 4377. 7.
 49. Ἀραχος = Ἀρακος (Cyrene): C. I. Gr. 5149. Cf.
 supra pag. 75.
 50. Θυσοχότης Μόρφου (Neapolis): C. I. Gr. 5835. 3.
 Cf. supra n. 4—7. Hoc nomen a θυσοχός = θυηκόος
 derivandum est.
 51. Ἀσγλαπίοι = Ἀσγλαπίω (Bononia): C. I. Gr. 6737. 2.
 52. Ἀσγλαπίχιος (Orchomenus Boeot.): Rangabé 1304. 40.
 53. Ἀσγλαπιῶ (ibid.): cf. Keil in Fleckeiseni annall.
 suppl. IV. pag. 579.
 54. λάχνθος = λάκνθος (in vasculo Italiae inferioris):
 cf. Annali d. inst. III tab. D.
 55. διώχι = διώκει in gemma apud Stephani, Apollon
 Boëdromios pag. 34.
 I. B. K ponitur pro X:
 In lapidibus Atticis:
 1. Σωκάρο[ις] = Σωχάρους (inscr. privata): C. I. Gr. 676.

16) Cf. supra n. 22, tit. Epiroticum.

2. *καταθόνιος* (inscr. privata): C. I. Gr. 916. 4. Cf. etiam infra n. 34 et *ἀπθιος* pro *ὑφθιος*, quod pag. 88 enumeravimus.

3. *δοδεκεμέρον* = *δωδεχημέρον*: Rangabé 56 A. 36. (inscr. publ.)

4. *Κσανθίας*¹⁷⁾ = *Χσανθίας*: Rangabé 2268. 10.

5. *ζάριν* = *χάριν*: Rhein. Mus. 1866 pag. 386 no: 208.

In vasis Atticis:

6. *Ἀρχικλεις* = *Ἀρχικλιῆς*: C. I. Gr. 8140.

7. *ναικί* = *ναιχί*: Jahn, Beschreibg. etc. no: 515.

8. item: Catalogue of vases in the brit. Mus. I. no: 852.

9. *Κέρονος* = *Χέρονος*: Jahn, l. I. praef. adnot. 965.

10. *Κσενοκλεις* = *Χσενοκλιῆς*: Raoul Rochette, lettre à M. Schorn pag. 11 et Welcker, alte Denkm. V. 382.

11. *Παννυκίς* = *Παννυχίς*: Stephani in scriptis academiae Petropol. 1860. pag. 12.

12. *Ἀντίμακος*: Annali d. inst. III pag. 167.

13. *Κρησόθεις*: Bulletino d. inst. 1865. IX et X. Cf. n. 37.

14. *Καριθαῖος* = *Χαριταῖος*: Brunn, Künstl. Gesch. II. 666.

15. *Εὐκρος* = *Εὐχειρος*¹⁸⁾: Keil, Anall. epigr. 170.

In ceterae Graeciae monumentis:

16. *καῖρε* = *χαῖρε* (Epirus): C. I. Gr. 1820.

17. *ἔσκάτω* = *ἔσχάτω* (Coreyra): C. I. Gr. 1840. 12.

18. *Κορηγίονος* = *Χορηγ.* (Anapa): C. I. Gr. 2131.

19. *καῖρε* = *χαῖρε* (Mytilene): C. I. Gr. 2206.

20. *τ[ρι]βωρονίας* = *τυμβωρονχίας* (Iasus): C. I. Gr. 2688.

21. *κάτερον* = *χάτερον* (Stratonicea): C. I. Gr. 2722. 3.

17) Cf. etiam n. 10 et infra III B n. 8—9, ubi prorsus similiter *ρο* et *πο* pro *χο* et *φο* scriptum est. Ceterum dubitari potest, utrum haec exempla pro meris aspp. et tenn. confusionibus, an pro vestigiis vetustissimae illius scripturae, quae in titulis Theracis et Meliis occurrit (cf. Kirchhoff, Studien z. Gesch. d. gr. Alph. p. 161), habenda sint.

18) Hoc est nomen figuli, quod etiam in alio vasculo (cf. Brunn K. G. II. p. 681) occurrit.

22. *κρή* = *χρή* (Aphrodisias): C. I. Gr. 2741. 12.
 23. *παρασχόντια* = *παρασχόντια* (ibid.): C. I. Gr. 2771. 10.
 24. *πυρρίχης* = *πυρρίχης* (Teus): C. I. Gr. 3089. 7.
 25. *Διεύκον* = *Διεύχον* (ibid.): C. I. Gr. 3101 (cf. 3064, 3101 et nomen *Διευχίδας*).
 26. *Τύκην* = *Τύχην* (Smyrna): C. I. Gr. 3273. 9.
 27. *Βακίον* = *Βακίον* (ibid.): C. I. Gr. 3342.
 28. *ἤρχως* = *ἤρχως* (Thyatira): C. I. Gr. 3487. 14.
 29. *κάριν*¹⁹⁾ = *χάριν* (Parium) C. I. Gr. 3653.
 30. *Κρησιός* = *Χρησιός* (Cyzicus): C. I. Gr. 3665. 52.
 31. *ἔστικον* = *ἔστιχον* (Apamea Bithyn.): C. I. Gr. 3715.
 32. *κάριν* = *χάριν* (Nicaea): C. I. Gr. 3758. Cf. n. 29.
 33. item (Cotyaeum): C. I. Gr. 3827.
 34. *κατακτιονίους* = *καταχθονίους* (Cadyanda) C. I. Gr. 4320. 11.
 35. *Καρίκλεια* = *Χαρίκλεια* (Aegina): C. I. Gr. 2140^{a 9} in addendis. Cf. n. 29.
 36. *Ἀκίλλεύς*: Overbeck, Gall. hero. Bildw. pag. 377.
 37. *Κρύσης* = *Χρύσης*: ibid. Cf. supra n. 13.
 38. *Κιονίς* = *Χιονίς*: Gerhard, auserl. Vas. III. pag. 81 et Archaeol. Ztg. 1846. 43.
 39. *Καρίλας* = *Χαρίλας* in nummo Milesio apud Mionnet III. 164. 735.
 40. *Εὐτύκους* = *Εὐτύχους* in nummo Phocaeensi apud Mionnet III. 179. 848.
 41. *ἄρχοντος* = *ἄρχοντος* in nummo apud Mionnet III. 188. 904.
 42. *Καρίδημος* = *Χαρίδημος* in nummis Phrygiis et Clazom. apud Mionnet IV. 254 et III. 74. Cf. n. 29.
 43. *Καρῖνος* = *Χαρῖνος* in nummo Bithyn. apud Mionnet suppl. V. 246. 1441.
 44. *Καρῖνος* in nummo Phrygio apud Mionnet suppl. VII. 613. 564.

19) Eandem confusionem s. n. 32, 33, 35, 42 notavimus.

45. *Ἀήμαρχος* = *Ἀήμαρχος* in lamina Euboica vetustissima: Rhein. Mus. 1867 pag. 280.

II. A. Θ ponitur pro T:

in lapidibus et vasis Atticis:

1. *χειροθρηνηθείς* (inser. publ.): C. I. Gr. 108. 4.

2. *θρόφος* = *τρόφος* in amphora Clitiae et Ergotimi cf. supra pag. 79 sq.

3. item in vasculo Glaucytae et Archiclis: Jahn, Beschr. etc. no. 333.

4. *Ἀριστοκράθης* = *Ἀριστοκράτης* (in vasculo): Jahn in scr. societ. Lips. VIII. pag. 747.

5. *Θέθις* = *Θέτις* (in vasc.): Overbeck, Gall. tab. 7. 6.

6. item „ „ Mon. ined. VIII. 15.

7—8. *Θαλθύβιος* = *Ταλθύβιος* bis in vasculis legitur: Mon. ined. 6. 19 et 8. 15 (cf. Annali 1865 pag. 212.)

9. *Ἄρθημις*: Gerhard, etrusk. u. campan. Vas. pag. 33.

10. *Ἀνθίλοχος*: Gerhard, Berlins antike Bildw. 1643 et archaeol. Ztg. XI. 128.

11. *Καριθαῖος* = *Χαριταῖος*: Brunn, Künstler-Geschichte II. 666, C. I. Gr. 8316 et 8317.

12. *Πρωθώ* = *Πρωτώ* in stela Attica apud Michaelis in nuntiis societ. Lips. 1867 pag. 116.

12^a. *Ἀνθιστένου[ς]* = *Ἀντισθένους* in stela sepulcr. Attica: Bulletino d. inst. 1858. pag. 180. n. 16.

In ceterae Graeciae monumentis:

13. *Θρόμιος* = *Τρόμιος* (Delphi): C. I. Gr. 1704. 17.

14. *ἀγαθῆ θύχῃ* (Perinthus): C. I. Gr. 2024.

15. *Πανθοκλεῖ* (Olbia): C. I. Gr. 2090.

16. *Τερθόλλα*²⁰⁾ = *Τερτόλλα* (Chius): C. I. Gr. 2241.

20) Editum est *Τερθομα*, sed quicumque observaverit, quam saepe in inserr. *M* et *AA* inter sese confundantur, non dubitabit, quin recte indicaverit Boeckhius, qui hoc loco Latinum nomen „Tertulla“ latere suspicatus est.

17. *Θηρω* = *τήρω* (*ἐκείνω*, Creta): C. I. Gr. 2554. 163.
18. *Θειμόθεος* = *Τιμόθεος* (Termessus): C. I. Gr. 4366 f.
19. *Αρταμιθίου* = *Ἀρταμιτίου* (Panormus): C. I. Gr. 5556.
20. *ἄνθρα* = *ἄντρα* (Neapolis): C. I. Gr. 5814.
21. *Θέθις* = *Θέτις* in speculo: Annali d. inst. IV. 10. 7.
Cf. etiam supra n. 5 et 6.
22. *Θυφλός* = *τυφλός* in vasculo Cumano vetustissimo: O. Jahn, Beschreibung etc. Einleitung pag. LX adnot. 389.
23. *Θιμόνοθος* = *Τιμόνοθος* in lamina Euboica vetustissima: Mus. Rhenan. 1867. pag. 281.
24. *Παράκληθος* = *Παράκλητος* item: ibid. pag. 288.
25. *Θείμωνος* = *Τίμωνος* in nummo Elaeae apud Mionnet III. 19. 111.
26. *Νικοκραθέου* = *Νικοκρατίου* in nummo Mysio ap. Mionnet II. 513. Cf. *Εὐκράτιος*, *Ξενοκράτιος* et p. 91.
27. *Θεύδοθος* = *Θεύδοτος* (Cnidus): cf. C. I. Gr. 8518.
- II B: T ponitur pro Θ:
in monumentis Atticis:
1. *κατηλωσαι* = *καθηλωσαι* (inser. publ.): Boeckh, tabb. trierararch. II. 31.
2. *κατιστᾶσιν* = *καθιστᾶσιν* (inser. publ.): Rangabé I. pag. 62. §. 2.
3. *Εὐτυμία* (inser. priv.): C. I. Gr. 708.
4. *Ἐπιστένος* = *Ἐπισθένομος* (inser. priv.): C. I. Gr. 739.
5. *Τάλεια* = *Θάλεια* (in vasculo): C. I. Gr. 8075.
6. *Ηλιοστένες* = *Ἰπποσθένης* (in vasc.): Catalogue of v. n. 429.
7. *Βάτυλλος* = *Βάθυλλος* (in vasc.): C. I. Gr. 8439.
8. *Περίτους* = *Πειρίθοος* (in vasc.): Gerhard, auserl. V. B. III. pag. 54.
9. *Αἴγιστος* (in vasc.): Overbeck, Gall. p. 679.
10. *τίχει ἀγαίε* = *τίχη ἀγαθή* (in vasc.): Jahn, Beschreibg. etc. Einleitg pag. CXXX adnot. 977.

11. *Σμίκντος* = *Σμίκνθος* (in vase.): C. I. Gr. 7878.
 In ceterae Graeciae monumentis:
12. [᾽]*Ἀλκιοΐδας* = [᾽]*Ἀλκιοΐδας* (Argi): C. I. Gr. 18. 4
 et Keil, anall. epigr. pag. 171 adnot. 1.
13. *Ἐντυμῖς* (Thessalia): C. I. Gr. 1981.
14. *ἐντάδε* = *ἐνθάδε* (ibid.): C. I. Gr. 1988^c.
15. *καταθέσται* = *καταθέσθαι* (ibid.): C. I. Gr. 1992.
16. *καταθίσται* = *καταθέσθαι* (Callipolis): C. I. Gr. 2015.
17. *σιαμόν* = *σταθμόν* (Zea): C. I. Gr. 2360. 12.
18. *κατεσταμένους* (Mylasa): C. I. Gr. 2695^a.
19. *παραμυθήσασται* (Aphrodisias): C. I. Gr. 2776.
20. *ἀντιφόρον* = *ἀνθηφόρον* (ibid.): C. I. Gr. 2822.
21. *ἀφρηϊσίησεται* (ibid.): C. I. Gr. 2845.
22. *καϊότι* = *καθότι* (Thyatira): C. I. Gr. 3487. 29.
23. *ἐπέσχετε* = *ἐπέσχεθε* (Apollonia Phryg.): C. I. Gr. 3973. 5.
24. *τὸν τεόν* = *τὸν θεόν* (Iconium): C. I. Gr. 3993.
25. *ἐπιτάψαι* = *ἐπιθάψαι* (Termessus): C. I. Gr. 4366^m.
26. *ἐντάδε* bis (Syracusae): C. I. Gr. 5398 et 5423^b.
27. item (Cumae): C. I. Gr. 5860.
28. *ἀπελεύτερος* (Trebula): C. I. Gr. 5934. 4.
29. [᾽]*Ἀθηροδότου* in nummo Elaeae apud Mionn. III 16. 96.
30. [᾽]*Ἀτάμας* = [᾽]*Ἀθάμας* in nummo Mysio ap. Mionn. suppl. V. 288. 58.
31. [᾽]*Ἐπαγατός* = [᾽]*Ἐπαγαθός*: in nummo Cnidio ap. Mionnet suppl. VI. 485. 246.
32. *χρήστω* = *χρήσθω* } in titulo Locrensi vetu-
33. *πεντορχίαν* = *πενθορχίαν* } stiss. Rangabé, II. 356^b.
- III. A: *Φ* ponitur pro *Π*:
 in monumentis Atticis:
- 1—3. *Φανφαῖος* = *Παμφαῖος* ter legitur in vasculis:
 Brunn, Künstl. Gesch. II pag. 725.
- 4—5. *Φανόπε* = *Πανόπη* bis legitur in vase. ap. Gerhard,
 Berlins antike Bildw. 1759 et Raoul Rochette, Journal des
 Savants 1830. pag. 124 (cf. etiam Archaeol. Ztg. 1865
 pag. 104 Anm. 25),

6—7. *Θυφειθίδες* bis legitur in vasc.: Catalogue of vases no. 854 et C. I. Gr. 8214. Keilius (anall. epigr. pag. 173) *Θευφειθίδης* intelligendum esse iudicavit, Jahnius vero in serr. societ. Lips. VIII adnot. 120 *Θευπειθίδης* coniecit. Equidem puto utrumque errasse sed Jahnius propius ad veritatem accessisse. Haud dubie enim nomen vere Atticum *Θ[ο]υπειθίδης* restituendum est, cum Attici *θεο* in *θου* contraxisse notum sit. Cf. *Θεοπειθης* apud Rangabé no: 1397, apud Harpocrat. s. v. *ἐπιδιατίθεσθαι*, Rangabé 2208, C. I. Gr. 272, Ross, Dem. Att. 14.

In ceterae Graeciae monumentis:

8. *Φίτακος* = *Πίτακος* in nummo Mitylenaeo ap. Visconti, iconogr. Gr. 11. 12, Mionnet suppl. VI. 64. 28.

9—10. *Θελφουσίω* = *Θελπουσίω* bis legitur in inscr. Delphicis: Wescher et Foucart, inscr. d. Delphes 464. 1, 465. 2.

III B: Π ponitur pro Φ:

in monumentis Atticis:

1. *ἄπιθος*²¹) = *ἄφθιθος* (inscr. vetustiss.): C. I. Gr. 1.

2—5. *Δίπιλος*, *Νικοπίλε*, *Πίλον*, *Πίλιπος* in vasculo: Jahn, in serr. societ. Lips. VIII pag. 748, C. I. Gr. 8076.

6. *Πανοκλέους* = *Φανοκλέους* (inscr. priv.): Rangabé 1823.

7. *Εὐπροσύνη* in stela: Bulletino d. inst. 1858 p. 180. 27.

8. *Μόποςος*²²) = *Μόφσος* in vasc.: Gerhard, auserl. V. III p. 155.

9. *ἔγραπσεν* = *ἔγραφσεν* in vasc.: Annali d. inst. III adn. 630.*

IV. XΘ ponitur pro ΚΤ:

1. *Ἐχθορ* = *Ἐκτωρ* in vasc.: C. I. Gr. 7673, Catalogue of vases n. 835. Fortasse etiam *Εὐταχτος* (pag. 81 n. 20) *ἐχ τῶν* (ib. n. 32), *ἐχδικῆσαι* (pag. 82 n. 44), *κατέχτανεν* (ib. n. 47) huc pertinent.

21) Non assentiri possum ei explicationi, quam Curtius el. p. 373 proposuit. Ceterum cf. illud *κατακθόνιος* pag. 83.

22) Cf. supra pag. 83 adn. 17.

2. ἐχθός = ἐκτός in inscr. Locrensi vetustiss.: Rangabé, Π n. 356^b. 11.

V. ΧΧ, ΘΘ, ΦΦ ponuntur pro ΤΘ (ΤΤ), ΚΧ, ΠΦ (ΠΠ).

1. Βάχχος (Tenus): Ross, inscr. Gr. in. 104. 3.

2—3. item bis C. I. Gr. 8626. 3 et 9177. 2 (tit. Christ.)

4. Βαχχίς: Wescher et Foucart, l. l. 315. 3.

5—11. Βάχχιος septies: Wescher et Foucart, l. l. 18. 246, 77. 11, 93. 14, 107. 19, 208. 8, 265. 6, 375. 5.

12. Βάχχων Philhstor I. 10. pag. 428.

13. Ἰαχχος ibid. I. 1—2 vers. 8 (Eph. arch. n. 4098).

14. Βύχχυλος: C. I. Gr. 9517 (tit. Christ.)

15. [Β]αχχιδᾶν: C. I. Gr. 1850 (tit. Coreyr.)

16. Κλεοθθίς = Κλεοθίς vel Κλεοτιίς (cf. infra pag. 107): C. I. Gr. 2211^b Add. (tit. Methymnaeus.)

17. Ἄραθθος, nomen fluminis, quod apud Strab. 7. 325 et Plin. h. n. 4. 4 Ἄραθθος scribitur, bis legimus in inscr. Coreyraea vetustiss. et in nummo: Franz in Diar. archaeol. Berol. 1846 pag. 380.

18. κάθθεσαν = κάθθεσαν (Mytilene): C. I. Gr. 2169.

19. Σάθθρον (Ithaca) C. I. Gr. 1927.

20. [Ἰ]θθφθιανός = Oppianus (Attica) C. I. Gr. 286. 8.

21. Σαθθρώ = Σαπθρώ in nummo Mityl.: Jahn, in serr. societ. Lips. VIII pag. 722.

22. Ἄθθφθειν = Ἄθθφθειον C. I. Gr. 3167 (cf. Ἄθθφθειν C. I. Gr. 3278. 1).

23. Ἄθθφθιον = Ἄθθφθιον (tit. Telmessius). C. I. Gr. 4207. 10.

24. Ἄθθφθιον = Ἄθθφθιον (tit. Sardius.) C. I. Gr. 3469.

25. Ἄθθφθιάς = Ἄθθφθιάς (tit. Proconnesius.) C. I. Gr. 3697.

26. Ἄθθφθία = Ἄθθφθία (tit. Phrygius.) C. I. Gr. 3902^m.

27. Ἄθθφθιανός = Ἄθθφθιανός vel Ἄθθφθιανός (Arpianus) in nummo Phocae. ap. Mionnet III. 179. 845, C. I. Gr. 427. 5 (Attica), 6513 (Roma).

28. Ἄθθφθη = Ἄθθφθη C. I. Gr. 3816. 2, 3390, 3796, (Ἄθθφθη C. I. Gr. 3796, 4122, 4145.)

VI. *ΠΦ* ponitur pro *ΠΠ*:

1—3. Ἀπφιανός = Appianus quater in nummis Lydiis et Phocæic. apud Mionn. IV. 65. 350, 67. 359, 360, III. 179. 846.

VII. In titulis Cretensibus haec vestigia aspirationis vel omissae vel additae repperisse mihi videor:

- | | |
|------------------------------------|--|
| 1. κρέματα = χρέματα | } in titulo Gortynio vetustissimo:
cf. Revue arch. VIII. 445. |
| 2. ἀγκορεν = ἀναχωρεῖν | |
| 3. ἐπ[ι]κορεν = ἐπιχωρεῖν | |
| 4. κάγατά = καὶ ἀγαθά | |
| 5. ἀποφειπάθθo = ἀποπειπάσθω ibid. | |

6—8. ἰθθᾶντι, σννεθθᾶ, ἰθθάνιες, id est Cretice pro ἰπιᾶνθι, σννεπιᾶ, ἰπιάνιες (= ἰσιᾶντι etc.) leguntur in inscr. a Bergmanno edita: cf. infra pag. 107.

Haec omnia exempla, quae adhuc attuli, quamquam nemo editorum rationem et aequabilitatem eorum intellexit, tamen ita comparata sunt, ut primo aspectu facile appareat, quid quoque loco legendum sit itaque tacite in transcriptionibus lapicidae vel lectoris, ut videbatur, lapsus correctus est. Sed restant haud pauci tituli, in quibus, cum tot exemplorum aequabilitas nondum perspecta esset, nemo adhuc, quid vere intelligendum esset, vidit; quamquam tales loci ex ceterorum analogia lenissime sanari possunt.

Iam igitur singulis classibus haec exempla accedunt:

I A: X pro K.

1. In nummo Carico apud Mionnet III. 383. legitur genitivus nominis virilis Δραχιλλίδου. Haud dubie Δραχνλλίδης intelligendum est: cf. Δράχνλλος ap. Arist. Ach. 612, Δέρχνλος, Δερχνλλίδας etc.

2. Keilius in Passovii lexico dubitat de forma Χρωκίνης, quae exstat in nummo Smyrnaeo apud Mionnet III. 198. 1022. Equidem intelligo Κρωκίνης = Κρωκίνας, quae explicatio etiam eo confirmatur, quod in alio nummo eiusdem urbis (cf. Mionnet III. 195. 982) scriptum legitur Σμυρναίων. Κρωκίνης.

3. Mirum nomen legitur in nummo Achaico apud Mionnet suppl. IV. 18. 103 *Χινασέας*, quae forma sine ulla dubitatione in Passovii lexicon recepta est. Mihi quidem *Κινασέας* id est Dorice pro *Κινησίας* (cf. *Μινασέας* — *Μινασίας*, *Ἀντέας* — *Ἀντίας*, *Καλλέας* — *Καλλίας* et similia apud Keil, annall. epigr. pag. 71, 2) recipiendum fuisse videtur. Quod vero ad Doricum α pro ι attinet, Ahrensius (de Dial. Dor. 147—49), si hanc formam novisset, certe non *κίνασις* in embaterio Laconico, quod Tyrtaeo ascribunt (cf. Bergk, poet. lyr. ed. min. fragm. 16), hyperdoricum esse iudicasset.

4. In amphora Clitiae et Ergotimi²³⁾ scriptum est *ΑΝΤΑΙΟΣ* pro *Ἀγκαῖος*. Cum vero in eadem amphora nomen Thoracis *ΘΟΡΑΤΣ* (sic) scriptum sit saepissimeque *T* et *+* propter formae similitudinem confundantur (cf. Ahrens in Mus. Rhen. 17. 363. adn. 21, *ΝΑΙΙΙ* = *ναίχι* Catalogue of vases etc. n. 830 *+ΗΛΕΜΛΙΧΟΣ* apud Gerhard et Panofka, Neapels antike Bildw. 1347, *τρίματα* pro *χρίματα* apud Rangabé n. 2205, *Παρμένιος* = *Παρμένιος* in nummo apud Mionnet, suppl. VI. 8), non dubito, quin hoc loco *Ἀγκαῖος* pro *Ἀγκαῖος* scriptum sit.

5. In vasculo 850 Catalogi Musei Britannici habetur nomen virile *I+ΙΑΣ* scriptum. Equidem [*N*]ιλίας latere suspicor.

6. *Πύκτων* legitur C. I. Gr. 1207, quam formam Kreusslerus in lexicon Passovii et Benselerus in lex. nominum propr. Graec., quamquam hic dubitanter, receperunt. Non dubito, quin *Πύκτων* (a *πυκνός*) intelligendum sit.

7. *Αιονίχης* legitur in lamina Euboica (cf. Benseleri lex. s. v.). Haud dubie *Αιονίχης* (cf. *Αιονικός* apud Lucianum) intelligendum est.

8. In nummo Phocaico apud Mionnet III. 177 scriptum est nomen virile *Χαφρείδης*, quod Keilius sine ulla dubi-

23) Cf. Jahn, Beschreibg etc. Einleitg. pag. CLIV. Anm. 1082, Brunn Künstlergesch. II. p. 676.

tatione lexico Passoviano inscruit. Mihi quidem persuasum est *Καρνείδης* intelligendum esse: cf. *Καρνεάδης*, *Καρνέας* C. I. Gr. n. 6071, *Καρνεῖος* ib. n. 5378, 5380, 5392^e etc.

I B: Κ ponitur pro X:

1. *Εὐχαρον Σωφίλων Θηβαία* scriptum est in stela Attica apud Rangabé II. 1804. Equidem *Εὐχάρο[ι]ον* (cf. *Εὐχάριος* apud Orelli, inscr. Lat. ampliss. coll. n. 3160 et *Εὐχάριος* C. I. Gr. 7321^e ac deinde *Γυμνάσιον*, *Ἐλάριον*, *Φιλημάτιον*, *Ἐρώτιον*, similia nomina hypocoristica) intelligendum esse iudico.

2. *Ἀχαιός* magistratus nomen est in nummo Dyrrhachino apud Mionnet II. 38. 85 (cf. etiam Benseleri lex. nom. propr. Gr. s. nom.). Latet, ut opinor, hoc loco nomen usitatissimum *Ἀχαιός*, de quo vide Benselerum s. nom.

3. In nummo Colophonio apud Mionnet III. 76. 110 legitur nomen *Μάχαξ*, cui Benselerus in lex. suo rectissime dubitationis signum apposuit. Iam vero, si *Μάχαξ* intelligitur, hoc nomen eodem modo a radice *μαχ* derivari potest, quo *λάλαξ* a *λαλ*, *βόαξ* a *βο*, *τρύφαξ* a *τρυφ*, *ρύαξ* a *ρύ* etc.

4. Keilius in anall. epigr. pag. 135 pro *Φιλότικος*, quod legitur C. I. Gr. 270. I. 28 scribere vult *Φιλότιμος*. Sed multo simplicius intelligi potest: *Φιλότιχος*, quod deminutivum est a *Φιλώτας*, ut *Ἀμύντιχος* ab *Ἀμύντας*, *Ἐνάτιχος* ab *Ἐνάτας*; similia.

5. Similiter idem Keilius in Fleckeiseni annall. suppl. II. 372 *Φρόνιμος* pro *Φρόνικος* (C. I. Gr. 1777. 2) legendum esse iudicavit. Nonne verisimilius est *Φρόνιχος* intelligendum esse, quod est deminutivum a *Φρόνιος* (cf. *Odys.* 2. 386, 4. 630) sicut etiam *Φρονίσκος* ap. Rangabé II. 1304. 45? Similiter iuxta reperiuntur *Φρόνιχος* et *Φρονίσκος*.

6. In lamina Euboica, quam Lenormant edidit in *Mus. Rhen.* 1867 pag. 279 legitur *Αἰσχροας*. Haud dubie hoc loco intelligendum est *Αἰσχρο[ῖ]ος* (cf. *Philoch.* ap. *Harpocrat.* s. v. *κατατομή* et *Ross*, de dem. *Att.* 5).

II A: Θ ponitur pro T:

1. In nummo Sicyonio ap. Mionn. II. 199 legimus nomen virile *Θρασύθης*, quod magnas mihi dubitationes movet. Attamen si alterum *θ* aspiratione ex *τ* ortum esse statuimus, evadit nomen recte formatum et per se clarum *Θρασύτης*: cf. Benseleri lex. s. nom. *Θρασύτας*, *Θρασύας*, *Θρασύλος*. Optime igitur hoc nomen *Θρασύτης* congruit cum *Θερσίτης*, de quo cf. Curtii ell. p. 232.

2. C. I. Gr. 2363 inter alia nomina male conservata etiam *Εὐτήμων* et *Θισίης* leguntur, quae aspiratione vulgari cognita facilia sunt ad explicandum. Dubitari enim non potest, quin *Εὐθήμων* (cf. Benseleri lex s. n.) et *Τισίης* = *Τισίας* scribendum fuerit.

II B: *T* ponitur pro *Θ*:

1. Rangabé II. 1840 stelam sepulcralem Atticam edidit, in qua scriptum legimus: *Στασία Τιασώτων Παφία* addiditque: „*Τιασώτης* est un nom inconnu.“ Valde mihi probabile est, hoc loco *Θιασώτης* intelligendum esse: cf. *Θιάσις* apud Ross, n. 95 et *Θιάσος* apud Benselerum l. l. s. v.

2. Notum est nomen figuli *Ταλείδες*, quod in multis vasculis habetur (cf. Brunn, Künstlergesch. II. pag. 735—36) et prorsus analogia caret. Mihi igitur persuasum est *Θαλείδης*, quod est patronymicum a *Θαλίης*, scribendum fuisse.

3. *Τεύδον*, id est genetivus a nominativo *Τεύδης*, invenitur in nummo Coo apud Mionnet, Suppl. VI. 568. Quae cum forma si nomina *Θεύδης* (in nummo Smyrnaeo ap. Mionnet III. 203), *Θεῦδης*, *Θευδιανός*, *Θευδίων* conferas, vix dubitabis, quin etiam in hoc nummo nomen *Θεύδης* lateat.

4. Forma *Παρθενιδανός*, quae legitur in nummo Teio apud Mionnet, suppl. VI. 382 per se tam obscura est, ut ipse Mionnetius in indice nominum (cf. suppl. IX. 2. pag. 85) huic nomini dubitationis signum apposuerit. Quodsi hoc nomen ea de qua agimus ratione corruptum esse putamus, evadit *Παρθενιδανός*, quod ex forma patronymica *Παρθενίδης* (cf. *Παρθένης*, *Παρθένης* C. I. Gr. 3664) addito suffixo *-ανός* facile explicari potest.

III A: *Φ* ponitur pro *Π*:

1. In vasculo Monacensi (cf. Jahn, Beschreibg. etc. n. 4.) Amazonum imagines exhibente etiam Ὑφοπέλλη claris litteris scriptum est, quod Jahnius haud probabiliter ex Ὑφοσιπέλλη corruptum esse putat. Mihi contra nulla mutatione facta Ὑποσιπέλλη legendum esse videtur, quo nomine ea significari potest, quae sub porta urbem custodit. Cf. Πυλαιμάχος et Πυλαίτις, quae sunt Minervae cognomina, Πυλάριτης, nomen Troiani ap. Homer., Πύλωρος C. I. Gr. 2130. 50, Ἐμπεύλος ap. Quinct. 10. 6. 4, Πρότυλος ap. Phot. bibl. p. 239. 15 etc., denique Homericum illud (Il. 12. 127): „... ἐν δὲ πέλλησι δὴ ἀνέρας εὔρον ἀρίστους.“

III B: Π ponitur pro Φ:

1. In stela Attica, quam Bursianus in actis societ. Lips. anni 1860 p. 197 edidit, mirum ephebi nomen Πρίκιων exstat, quod prorsus obscuram etymologiam habet nec alio loco redit. Equidem intelligendum esse puto Φρίκιων, quod nomen saepius occurrit (cf. Lenormant in Mus. Rhen. 1867 p. 286, Homeri epigr. 4. 4, Anthol. Pl. 243 et nomina Φρικίας et Φρικίδας ap. Wescher et Foucart, inser. de Delphes 161. 10, 166. 8).

Accedunt huc praeterea duo loci papyri Berolinensis, quam nuper Parthey in scrr. academ. Berol. 1865 ab Hauptio Herchero Kirchhoffio adiutus edidit. Ibi pag. 152 versu 73 sqq. ita scriptum est: „συνίστα δὲ σεαντὸν τῷ θεῷ οὔτως, ἔχων ὀλόλευκον ἀλέκτορα καὶ στρόβιλον καὶ οἶνον σπένδων αὐτῷ ἄλυφον καὶ περιέμενε εὐχόμενος ἕως ἢ θυσία ἀποσχῆ.“ Quo in loco cum neque Parthey scripturam ἄλυφον se expedire posse fateatur neque Hercheri coniectura ἄλειφον placeat, equidem veram emendationem invenisse mihi videor intelligens ἄλυπον. Ad quam explicationem confirmandam hos locos confero, ubi adiectivum ἄλυπος cum vino aut cibo coniunctum occurrit: Ath. I. 33^a: „ὁ δὲ Ἀθριανὸς καλούμενος (scil. οἶνος) εὐπνός, εὐανάδοτος, ἄλυπος τὸ στρολον. Ibid. II. 57^d: „τοὺς στρόβιλους πρὸς εὐπεψίαν ἀλύπους εἶναι.“ Ibid. I. 29^e ex Hermippo: „τῶν ἄλλων οἶνων μετ' ἀμίμονα Χίον ἄλυπον,“ Pollux onom. γ. 108, Theophr. hist. plant. 2. 4. 2 denique

Horatianum illud (ca. I. 17. 21) „Hic innocentis pocula Lesbii.“

Similiter alius locus eiusdem papyri pag. 150 v. 5 sqq. emendari potest, ubi, postquam v. 2 Apollo his verbis invocatus est: „Φοῖβε μαρτυροῦναισι ἐπιτόδοθός ἔρχεο χαίρων“ versu 5 ita pergitur: „Εἰ ποτε δίφιλον ἔσχεν ἔχων κλάδον ἐνθάδε δάφνης || σῆς ἱερῆς κορυφῆς ἐφθέργεο πολλάκις ἔσθλά || καὶ νῦν μοι σπέσειας ἔχων θεσπίσματ' ἀληθῆ.“ Haec verba, quae neque Parthey interpretari potuit et Bursian (Litt. Centralbl. 1867 pag. 297) aperte corrupta esse iudicavit, optime restituuntur, dummodo pro ἔσχεν ἔσκεν et pro δίφιλον δὴ φίλον intelligatur. Sic enim haec sententia evadit: „Wenn früher einer (de omisso τις cf. Krügeri gr. gr. 61. 4. 5) dort war (scil. Delphis), haltend den (dir) lieben Lorbeerzweig von deiner heil. Spitze“ (hoc haud dubie ad Parnassum spectat cf. Orphei Argon 1: „Ὠναξ Πυθῶνος μεδέων, ἐκατήβολε μάντι, || ὃς λάχες ἠλιβήτου κορυφῆς Παρηγηίδα πέτρην“): da gabst du oftmal herrliche Orakel. Und so eile auch jetzt zu mir mit wahren Sprüchen.“

Ceterum hae emendationes vel potius explicationes etiam eo confirmantur quod saepius in his papyris aspiratas et tenues confusas videmus: pap. I. vers. 7 ἀκρωτίσιος pro ἀχρ., 321 μειλίκιον, II. 89^a ἀ[κά]χητα = ἀκάκ., 127 ὄσθις pro ὄστις, 182 κάστην pro χ., 166 φάνατι = φάναθι.

Sed haec perpetua tenuium et aspiratarum commutatio, quae quam longe lateque per omnium regionum et saeculorum inscriptiones Graecas diffusa sit nunc satis superque demonstrasse mihi videor, vix rarius etiam in vocabulis Graecanicis apud Romanos apparet²⁴): neque id mirum, nam cum Graeci ipsi tam saepe nescirent, ultra littera adbibenda

24) Primus Scaliger in indice grammatico ad Gruteri corpus inseri. s. v. „h superfluum“ et „omissum“ hanc confusionem observavit. Cf. etiam Schneider, gr. lat. I. 199 sq. et 205, Schmitz, progr. Marcodur. 1863, Ribbeck, index gramm. ad Vergiliana proll. pag. 421 sqq. qui tamen veram huius rei rationem non intellexerunt.

esset in vocibus haud raro cum falsa aspiratione pronuntiatis, eo facilius Romani, qui plerumque non ita accurate grammatica Graeca eruditi erant, in hac re errare potuerunt, postquam inde ab anno 660 u. c. (cf. Ritschl, *Mon. epigr.* III pag. 27) aspiratas Graecas pronuntiando et scribendo exprimere inceperunt.²⁵⁾

Sic igitur haec nova exemplorum turba accedit.

I A: CH ponitur pro C:

In inscriptionibus:

Chorintho *Grut.* 349. 2, Prochne *ib.* 883. 2 (cf. etiam *Inscr. regni Neapol.* 701), Schythicus *ib.* 520. 3, Dorchae *Inscr. regni Neap.* 3838, Gluchera *ib.* 3323, Philochale *ib.* 3401, chorinbus *ib.* 2133. (cf. etiam Schuchardt, *Vocalism. d. Vulgärlateins* I. 18).

In libris vetustissimis Vergilianis (saeculi tertii, quarti, quinti), qui titulorum posteriorum instar sunt (cf. Ribbeck, *ind. gramm. ad Verg.* pag. 421 sqq.):

Chaicus, Chalybe, Alchides, Barchaei, lynches, Phorchus, Stimichon.

I B: C ponitur pro CH:

In libris *Vergil. vetustiss.:*

Calybs, Carybdis, caelas (chelas), clamys, coreis, Cromis, Ancises, Dulicius, Erictonius, Iacco, Molorci, Orsilocus, Pancaeis, Thersilocus etc.²⁶⁾

25) Idem etiam in *inserr. Etruscis* a K. O. Müllero (*Etrusker* I 59) animadversum est, qui haec exempla attulit: Pherse = *Περσείυς*, Phulnikes = *Πολυνείκης*, Atresthe = *Ἀδραστός*, Thethis = *Θέτις*, Thelaphe = *Τήλεφος* (cf. etiam Müller-Wieseler, *Denkm. d. a. Kunst* I. 63. 319 et 61. 307 Athrpa = *Ἀτροπος*).

26) Noli putare haec meros librariorum errores esse et Romanos spiritum post c t p non accurate pronuntiasse. Quantum enim, ut exemplo utar, Otho et Oto pronuntiando inter se differant, apparet ex testimoniis Ciceronis *or.* 48. 160, Catulli *epigr.* 84, Quinctiliani 1. 5. 20 etc. Cf. etiam Consentium pag. 392. 19 ed. Keil., ubi tales „barbarismos“ sic castigat: „[per immutationem fiunt barbarismi sic:] aspirationis, ut si quis Traciam dicens primam subtiliter eferat aut Carthaginem dicens primam enuntiet cum aspiratione.“

II A: TH ponitur pro T:

In inscriptionibus:

Amaranthus Grut. 241, Amynthas ib. 914. 6, Atthin ib. 29. 6, Therpsis ib. 787. 6, Thelete Inscr. regni Neap. 3697, Thryphosa ib. 3153 et 6676, Thelesina ib. 833, Tharsus Orelli inscr. 6792^a etc.

In libris vetustissimis Vergili:

Thalon, Aethna, Anthaeus, Athlans, Clythius, cythisus, Erymantha, Eurythion, Orthygia, trietherica.

II B: T ponitur pro Th:

In libris Vergili vetustissimis:

Tracius, Tybris, Tyrsis, aeter, aeterius, coturnus etc.

III A: Ph. ponitur pro P:

In inscriptionibus:

Arphocrates Grut. 595. 2, Eumolphus ib. 150. 4, Symphosium ib. 878. 6, Terphne 973. 10. Phisidae ib. 501 l. 5 a fine (cf. C. I. Lat. ed. Mommsen 204. 2. 32.)

In libris Vergili vetustissimis:

Pharnasii, Pharon, Phasiphae, Phrytanis, Phyrriae, Enipheus, Melamphus, Olymphiacus.

III B: P ponitur pro Ph:

In libris Vergili vetustissimis:

Nipaei, Ripaeus, palanges, Polus, Pyllis.

Iam vero, ut videamus, cuius potissimum sedis tenues aspiratae sint, hanc tabulam confeci, quae complectitur 153 exempla, in quibus aspirata simplicis tenuis locum occupavit.

1. Eorum exemplorum, in quibus in principio vocabuli ante vocalem aut in medio vocabuli inter vocales aspiratum est numerus: = 94

2. eor. exempl. in quibus ante liquid. asp. est: = 16

3. " " " " post nasal. " " = 14

4. " " " " post liquid. " " = 13

5. " " " " post sibil. " " = 8

6. " " " " ante *v* " " = 4

7. " " " " ante *τ* aut *δ* " " = 4

Itaque nunc cogimur ita statuere, ut iam supra (pag. 67) dixi: in lingua vulgari multas tenues cuiusvis sedis sive in principio vocabuli sive vocalibus sive consonantibus omnis generis circumdatas pariter in aspiratas transisse.

CAPUT IV.

DE ASPIRATIONE, QUAE IN NONNULLIS VOCABULIS MIRO
MODO TRANSPONI VIDETUR.

Mira ratione in inscriptionibus modo allatis, id est in lingua vulgari legem illam euphonicam neglectam videmus, quae vetat binas syllabas sequentes nisi in compositione, declinatione, apostropho (cf. Krügeri gr. Gr. 10. 8. 1) ab aspiratis ordiri posse: quod fit in *Χαλχηδόνιοι, Χαρονλίων, χάλχας, Χόλχος, Χλαύχη, Ψύχη, Ψυφλός, Ψρόφος, Θέθις, Θελφουσίω, Θαλθίβιος, Φανφαῖος* (α παμφαίω). Nunc autem cum etiam in media et infima Graecitate eandem legem saepe neglectam esse observemus (cf. Ducange, glossar. med. et inf. Graecit. et lexica Graecit. recent. s. vv. *χάροχωμα = χάλκωμα, χαχανίζειν = καχανίζειν (καχάζειν), χάσχειν = χάσκειν, χόροχορος = κόροχορος, χανχησιάρης = κανχίμων, χοχλίος = κοχλίας, χοχλάκι = κόχλαξ (κάχληξ), Ψρέφειν = τρέφειν* etc.), facile intellegimus hanc recentioris Graecitatis anomaliam ex antiqua lingua vulgari profectam esse. Sed etiam miram illam aspiratarum et tenuium transpositionem, quae in quibusdam vocabulis fieri videtur, talibus formis explicari posse puto, dummodo in *Χαλχηδόνιοι, χάλχας, Θελφουσίω* accuratius inquiramus.

Urbs enim Calchedon, si nummi, in quibus fere semper *Καλχαδών* legitur, excipiuntur (cf. Mionnet II pag. 421—25 et suppl. V. pag. 24—32), in inscriptionibus lapidariis quaterdecies scribitur *Καλχηδών*: cf. C. I. Gr. 1584. 19 (tit.

Orchomen. Boeot.), 2322^b 19 (tit. Deliacus), 3068 B. 2, 19, 29 (tit. Byzant. tertii saec. ante Chr. nat.), 5253 (tit. Cyrenaicus), 6091. 3 (tit. Romanus), Rangabé ant. hell. II. 1953 (tit. Attic.), Wescher et Foucart, inscr. de Delphes 18. 209, Boeckh, attische Tributlisten 28. 28, 47. 14, 81, Mommsen, inscr. regni Neapol. 159, Orelli, inscr. Lat. 545.

Aspirata autem forma *Χαλχηδών* septies occurrit: Boeckh, att. Tributlisten 4. 1, 54. 56, 100, C. I. Gr. 1936. 31 (tit. saec. III ante Chr.), ib. 3793 (tit. Calchedontus), denique in duobus nummīs ap. Mionn. suppl. V. 26. 131 et 30. 158.

Praeterea hoc nomen in Boeckhii tabulis tributt. aliquoties mutilatum est: 9. 34 *Κα[λχηδόνιοι]*, 36. 16 *Χαλ[χεδ]όνιοι*, 63. 34 [*Κα*]λχηδόνιοι, 63. 54 [*Κα*]λχηδόνιοι, 58. 4 [*Καλ*]χεδόνιο[ι], 78. 16 *Χαλ[χεδόνιοι]*, 91 *Χα[λχηδόνιοι]*, ubi Boeckhiius (cf. etiam Staatshaushalt II pag. 693) licentius modo *Καλχηδόνιοι* modo *Χαλχηδόνιοι* transscribit, quamquam constat *Χαλχηδών* semel tantum in titulo infimae aetatis Alexandro Severo imperatore exarato legi (C. I. Gr. 3676. 13); unde satis apparet in illis tabulis tributt., si littera *χ* in principio vocabuli servata sit, *Χαλχ.*, si alterum *χ* tantum exstet aut *Καλχ.* aut *Χαλχ.* ex ceterorum exemplorum analogia, minime vero *Χαλκ.* transscribendum esse.

Denique quod ad libros mss. attinet, apud Herodotum nunc semper *Καλχηδών* scribitur itemque apud Xenophontem, cuius optimi codices in historia Graeca et Anab. 7. 1. 20 et 2. 24. 26 secundum L. Dindorfium in thes. Stephan. s. v. *Χαλκιδών* et ad Hell. 1. 3. 2 pag. 23 edit. Oxon. satis constanter hanc formam testantur. Cum vero etiam Demosth. pag. 1207. 28 cod. Σ *Καλ^ζ* praebeat et Plat. civ. I. 328 B ex scriptura optimorum codd. *Καρχ.* non *Χαλκ.* sed *Καλχ.* legendum sit, dubitari vix potest, quin ceteris omnibus locis antiquiorum scriptorum non solum Graecorum verum etiam Romanorum *Καλχηδών* aut Calchedon sit restituendum.

Iam igitur videmus valde errare Leutschium in Mus. Rhen. 1834 pag. 29 sqq., qui *Καλχηδών* linguae vulgari,

Χαλκηδών Atticae dialecto vindicavit, neque Boeckhio (cf. C. I. Gr. I. pag. 662 et Staatshaush. II pag. 695) assentiri possum, qui Leutschium secutus *Καλχηδών* a *χάλχη*, id est ostrea, derivandum esse iudicat, quam Attici *χάλχην* appellerint (??).

Quamquam enim negari non potest vetustissimam et optimam scripturam esse *Καλχηδών*, tamen hanc urbem ab aere nomen accepisse ex hisce argumentis apparet.

Ac primum quidem ora, ubi Calchedon condita est, aeris bonitate excelluit, praesertim insula Chalcitis, quae Stephano Byzantio teste (s. v. *Χαλκίτις*) quadraginta tantum stadia ab urbe aberat (cf. Hesych. s. v. *Δημονήσιος χαλκός*, Stephan. Byz. l. l., Aristot. mirab. aud. 59, Polluc. onom. 5, 39, Theophr. de lapid. 25.)

Deinde flumen, quod Calchedona praeterfluit et omnino totus ager Calchedonius *Χαλκίς* (cf. Steph. Byz. s. v. *Χαλκηδών* et Dion. Perieg. v. 764 „*Χαλκίς ἄρουρα*“), urbs ipsa a Steph. Byz. (s. v. *Χαλκίτις*) *Χαλκίτις* appellatur.

Quae cum ita sint hoc mihi statuendum esse videtur.

Χαλκηδών iam antiquissimis temporibus in lingua vulgari transiit in *Χαλχηδών*, quae forma cum in litteras recipi non posset non spiritus metathesi sed lege illa euphonica adhibita per septem fere saecula *Καλχηδών*, post autem contraria ratione *Χαλχηδών* scriptum est.

Prorsus similiter de formis *Θέλπουσα* et *Τέλφουσα* iudicandum est. *Θέλπουσα* enim fuit urbs Arcadiae ad Ladonem sita prope fontem, cuius nymphae idem nomen erat (cf. Paus. VIII. 24—25). Hoc nomen illa haud dubie ab aqua calida acceperat, nam apud Steph. Byz. s. v. *Θάλπουσα* eadem urbs etiam *Θάλπουσα* appellatur, quod est participium verbi *θάλλειν* subaudito *κρήνη*. Altera forma *Τέλφουσα* apud eundem Steph. s. v. *Τελφοῦσσα* (vel potius *Τέλφουσα*) et apud Polybium (cf. II. 64, IV. 60, 73, 77) servata est itaque apparet *Θέλπουσαν* per formam vulgarem *Θέλφουσαν*, quae quidem bis legitur apud Wescher

et Foucart, inscr. de Delphes 464 et 465, transisse in *Τέλ-
φοουσαν*, cum scriptores, qui hanc vulgarem formam recipere
noluerunt, lege illa euphonica falso uterentur.²⁷⁾

Eodem modo ex *κάλλη* id est purpura vel voluta co-
lumnarum (cf. Hesych. s. v.) in lingua vulgari natum est
χάλλη, quod exstat in inscr. Attica publica apud Rangabé 56
A. 50, unde denuo ortum est *χάλλη* id est *πορφύρα*, quod
apud Hesychium legitur.

Ex horum igitur vocabulorum, de quibus propter in-
scriptionum testimonia certum iudicium fieri potest, analogia
concludo etiam in aliis vocabulis²⁸⁾, ubi aspiratio transilire
videtur, similem metathesin per formas vulgares binis
aspiratis pronuntiatas explicandam esse.

1. *ἄκ-αν-θος* — *ἄχανθος* — *ἄχαντος*.

Radix huius vocabuli est *ἄκ* (cf. Curtii el. etym. Gr. 122),
unde etiam synonymum *ἄκ-αν-ος* derivandum est. Formam
ἄχαντος Gregor. Cor. p. 414 Ionibus, Eustathius pag. 468. 33
linguae rusticae assignant.²⁹⁾

2. *χίτρα* — *χίθρα* — *κύθρα*, a radice *χv* (cf. Curtii el.
186). Forma *κύθρα* Ionibus tribuitur a Gregor. Cor. l. l.

27) Multo minus probabiliter Lobeckius parall. I. 47 et Siebelis
edit. Paus. II pag. 271 et 274 *Θελπουσαν* formam ex *τιλφόσσα* natam
esse putaverunt, etsi iam Sylburgius ad Paus. 8. 24. 4 verum viderat.
Ceterum eandem originem etiam fons ille Boeotiae habere videtur,
qui in hymno in Apoll. Pyth. *Τελφοῦσα* et a Pindaro (cf. Strab. p. 411)
Τιλφῶσσα id est *Θαλπόσσα* appellatur. Ibi cum Tiresiae sepulcrum
et Apollinis templum fuerit (cf. Strab. l. l. et hymnum in Apoll. Pyth.
206) notumque sit fontem Delphicum calidum vaporem edidisse, facile
inde concludo omnino eiusmodi fontes vim divinatoriam habuisse ideo-
que Apollini sacros fuisse.

28) Cf. Lobeck, ell. pathol. I. pag. 527 sq.

29) Apud Veget. r. vet. 1. 20 materia, ex qua suffimentum paratur,
nominatur achantum, de quo viri docti adhuc dubitant. Equidem
non dubito, quin achantum ex acantho paratum sit, cuius odor saepe
laudatur: cf. Plin. h. n. 24. 12. 67, Verg. Geo. II. 119 et interpretes
ad hunc locum.

3. *πάθ-νη* — *φάθ-νη* — *φάτ-νη*, a radice *πατ* id est pasci, vesci (cf. Curtii el. 244). Inde nata sunt *πάτνη* (cf. Etymol. m. 789. 15 et Hesych. s. v. *πατινώματα*), *πάθνη* et *πατάνη*, quibus apud Romanos optime respondet *patina*, quod apud Vegetium (a. vet. 1. 56. 3) prorsus idem significat atque *φάτνη*; *φάτνη* enim proprie est id unde pabulum capitur. Propter formae similitudinem etiam lacunaria *φάτναι* sive *φατινώματα* appellata sunt. Ceterum etiam recentiores Graeci formam vetustissimam servarunt, exstat enim in lexicis *παχνί* (id est *παχνίον*), θ in χ mutato, quod quidem saepius fit (cf. Curtii el. 434 et Baumeister, Euboea pag. 57).

4. *θριγ-κός* — *θριγγός* (quod apud Iosephum legitur) — *τριγγός*, a radice *στραγ* = stringere (cf. Curtii el. 342), unde Hesychius: *στριγγός· τειχίον, στρικτόριον* (hoc desideratur in lexicis Lat.) *στεφάνη δώματος*, quocum cf. Hesych. et Suid. s. v. *τριγγός· περίφραγμα, στεφάνη, τειχίον*.

5. *έν-ταῦ-θα* — *έν-θαῦ-θα* — *έν-θαῦ-τα* et *έν-τεῦ-θεν* — *έν-θεῦ-θεν* — *έν-θεῦ-τεν*. Buttmanus in gr. Gr. ub. II. 357 Ionicas formas nativas esse iudicavit; sin vero cum Curtio (el. 278) *έν* pro radice pronominali habendum est, *ταν* et *τεν* mihi pronomem *το* (ta) esse videtur, cui idem *υ* accessit, quod etiam in *ο-ῖ-τος* (cf. Curtii el. 477 et Sonnum in Kulnii annall. XII. 270 sqq.) apparet. De terminatione *-θα*, quae est in *έν-ταῦ-θα*, confer *έν-θα πάροι-θα*, *έξου-θα* (= *έκτός* apud Hesych.), denique *ήλι-θα* et *μίνν-θα* et *ὑπαι-θα* apud Homerum.

6. *συνθέτηκα* — *συντέθεικα*: cf. Hesych. s. v. „*συνθέτηκα· συνθεμένη*“ ibique M. Schmidt adnotationem et s. v. „*συντέθεικα· συνθεμένη*.“

Deinde huc accedunt aliquot vocabula, quorum originem non satis perspectam habemus:

7. *τεῦθις* — *θεῦτις*: cf. Hesych. s. v. *θεῦτιν*.

8. *Φαπίη* — *Παπίη*: cf. eund. s. v. *Φάπ[ί]ην*.

9. *τωθάζω* — *θωτάζω*: cf. eund. s. vv. *θωτάζω* et *έπι-θωτάζω*.

10. ἀκίητος — ἀκίητος: cf. eund. s. v. ἀκίητα.

11. χήτιον — κήθιον: cf. Athen. p. 477.

12. χιτών — κιθών: cf. Gregor. Cor. l. l.

13. Κάλχας — Χάλλας: cf. Eustath. ad Il. p. 289. 38.

14. βάρραχος — βάρρακος: cf. Greg. Cor. l. l. et schol. ad Il. p. 131^b 35). Apud Hesychium βράταχος βόραταχος, βρόταχος βύραταχος leguntur, mediae aetatis Graeci (cf. Ducangii gloss. s. vv.) βόραταχος et βόραταχος dixerunt, denique in lexicis recent. Graecit. βαθρακάς et βοραδακάς afferuntur, quae haud dubie ex βάρραχος nata sunt.

In duobus vocabulis media δ in locum alterius aspiratae successit: σχεδρός — σεθρός (a radice σεχ: cf. Curtii el. 176), πιθάκη — φιδάκη.

Similiter intellegitur, qui fiat, ut in τρέχω, τύφω, τρέφω similibus, si altera aspirata declinando perierit, τ in θ mutetur. Probabile enim est radices θρεχ, θυφ etc., quas primus Buttmanus (cf. gr. Gr. uber. I. 77) Curtio (in ell. sub singulis vocc.) consentiente perspexit in lingua Graeca quondam exstitisse et inde fluctuationem illam aspirationis explicandam esse. Confirmatur hoc non solum vasculis illis antiquissimis, in quibus bis θροφός pro τροφός legitur et lingua recentiore, ubi forma θρέφειν adhuc servata est, verum etiam eo, quod, ut cognatarum linguarum comparatio docet, ne unum quidem horum vocabulorum ab initio binas aspiratas sed aut omnino nullam aut unam tantum habuit: derivanda enim sunt τύφω a radice dhûp (Curtius, el. 205), τρέφω a radice tarp (Curtius 202), θάπτω a radice dhap (Curtius 449), ἔταφον a rad. stabh (Curt. 198), τρέχω a radice trak (Curt. 178), τρέφω a rad. tar (Curt. 202), ταχίς a takus (Curt. 178).

Denique illa transpositio aspirationis, quam saepissime in inscriptionibus et libris vetustissimis Latinis observamus, facile eadem ratione explicatur. Plurima huius rei exempla collecta sunt ab Hübnero in indice grammatico ad Corp. inscr. Berol. I. s. v. „aspiratio transposita“ et a Ribbeckio in

ind. gramm. ad proll. in Vergil. pag. 424 sq., unde haec deprompsi:

Anth[i]ocis = Antiochis, Calithuce = Callityche, Char- tago = Carthago, Chiteris = Citheris, teathrum = theatrum, Traechia = Thraecia, Berechyntia, Calchidicus, Carphatius, chitara, Chyteron, Thypoea³⁰⁾ etc. Haec omnia exempla quominus pro meris lapicidarum et librariorum erroribus habeamus, impedit eorum et ratio et multitudo. Cum enim iam supra abunde demonstratum sit eos Romanos, qui artem grammaticam non docti essent sed ex lingua Graeca vulgari haurirent, saepissime aspiratas et tenues confudisse, non mirum est, quod in iis quoque vocabulis Graecanicis, quae in lingua vulgari binis aspiratis pronuntiata sunt, saepe legem illam aut prorsus neglexerunt (cf. Inscr. regni Neap. 3153 et 6676: Thryphosa, Grut. 520. 3: Schythicus, Phorchus = Phorcys codd. Pet R Aen. 10. 328: Ribbeck. l. l. pag. 423, Thrachius cod. M Aen. 5. 565: Ribbeck. l. l. pag. 425), aut ea falso usi sunt, sicut ex illis exemplis satis apparet.

CAPUT V.

DE TENUIUM LITTERARUM IUNCTURIS ASPIRATIS.

Quemadmodum simplices tenues in aspiratas transierunt sic etiam earum iuncturas interdum aspiratas esse inscriptiones nos docuerunt.

I. Ac primum quidem in *Ἐχθροῦ* et *ἐχθρός κτ* in *χθ* transisse pag. 88 sqq. vidimus. Sed eadem aspiratio etiam in litteris et lexicis Graecis conspicitur, collegi enim inde nonnulla exempla, in quibus *φθ* et *χθ* ex *πτ* et *κτ* nata sunt.

1. Apud Hesychium legitur *ἀποφθαραξασθαι τὸ τοῖς*

30) De his „barbarismis“, qui dicuntur cf. Consentium pag. 392. 27 ed. Keil: [„per transmutationem aspirationis sic fiunt barbarismi:] ut si quis Thraciam perversa aspiratione proferat et dicat Trachiam.“

μυκτῆρσιν εἰς τὸ ἕξω ἦχον προσέσθαι, ἀποφλάσαι, ῥογγάσαι, quod iam Voretzsch, de inser. Cretensi Halis 1862 pag. 19—20 consentiente M. Schmidtio in Kuhnii annall. XII. 217 ex ἀποπταράξασθαι (= ἀποπταρεῖν) aspirando corruptum esse bene intellexerat.

2. Deinde exstat ἐπιφθύσδω = ἐπιπτύζω bis apud Theocritum (2. 62 et 7. 127).

3. ἐφθός est adiectivum verbi ἔπτειν (= πέπτειν cf. Curtii el. pag. 409), quod in ἔψειν transiit pro ἐπίός, quae quidem forma non solum in glossariis antiquis legitur (cf. Steph. thes. s. v. ἐπτόν) sed etiam aperte servata est in ἀφεπίός pro ἀφεφθός apud Soranum (de arte obstetr. pag. 202 ed. Flor. cf. etiam Lobeck, pathol. el. I. 527), qui Trajano imperatore vixit.

4. Ex horum exemplorum analogia concludo etiam ὄφθαλμός ex ὀπταλμός (cf. ὀπτάζω, ὀπτίλος, ὄκταλλος) natum esse.

5. μυκθίζω (cf. ἀναμυκθίζω, μυκθισμός, similia) haud dubie natum est ex μυκτίζω (cf. ἀπομυκτίζω, μυκτῆρ, μυκτῆριζω).

6. Hesychius et Photius verbum ὄρεκτεῖν interpretantur ἐπιθνημεῖν, cuius aspirata forma ὄρεχθεῖν prorsus idem significat.

7. Apud Hesychium legimus hanc glossam: ἐχθοῖ· ἕξω, id est locativus stirpis ἐκτο (unde ἐκτοθεν, ἐκτοθι) sicut ἐνδοῖ stirpis ἐνδο, ἕξοι stirpis ἕξο, pro ἐκτοῖ, minimeque Usenero (in Fleckeiseni annall. 1865. 254) assentiri possum, qui contra ordinem litterarum apud Hesychium ἐχσοῖ· ἕξω corrigere voluit.

8. Fortasse etiam ἀμικθαλόεσσα apud Homerum natum est ex ἀμικταλόεσσα, quod ad analogiam adiectivorum δολιχός — δολιχόεις, ἀγκύλος — ἀγκυλόεις, ῥιπνός — ῥιπνήεις, ἀργής — ἀργινόεις, μέσος — μεσήεις compositum est ex ἀμικτος (cf. Eur. Iph. T. 402: „ἔβασαν αἶαν ἀμικτον“) et suffixis αλο et εντ significatque solitudinem insulae Lemni, quae apud veteres in proverbium abierat. Cf. schol. ad

Π. ω. 753, qui ἀμιχθαλόεσσαν sic explicat: „ἦτοι ἀπρόσ-
μικτον, ἢ ἐραδίως οὐ μίγννται ὁ ἀπὸ τῆς θαλάσσης, καθὸ
ἀλίμενός ἐστιν κ. τ. λ.“, Soph. Phil. 1—2 cum schol. etc.

Sic denique illud intelligitur, qui fiat, ut in recentiore
Graecitate, quae ex antiqua lingua vulgari nata est, πτ et
κτ constanter in φτ et χτ transierint, recentiores enim Graeci
κλέφτης, χτένι, κόφτω, ὄχτω pronuntiant et scribunt pro
κλέπτης, κένιον etc. Cf. Mullach, Gramm. d. griech.
Vulgarspr. pag. 113 et 142.

II. Deinde etiam ππ κκ ττ in πφ κχ τθ transeunt:

1. Ἀππιανός et Ὀππιανός (id est Appianus, Oppianus)
primo in Ἀφπιανός, Ὀφπιανός deinde in Ἀφφριανός, Ὀφφ-
ριανός conversa esse supra (pag. 89) vidimus.

2. C. I. Gr. 3827 nomen muliebre Ἀππη legitur. Ex
hac forma postea Ἀφφη et Ἀφφη nata sunt, quae pag. 89
enumeravimus.

3. Ex horum vocabulorum analogia probabiliter concludi
potest voces hypocoristicas ἄππας (cf. Hesych. s. v., Callim.
hy. in Dian. 6, Aristoph. Byz. apud Eustath. ad II. 1118.
9), ἀππῆς (cf. Etym. magn. 133, 55) transisse postea in
ἀφφῆς, ἄφφας³¹): cf. de his et similibus Nauck, Arist. Byz.
fragm. pag. 155.

4. Pro βάρκαρις apud Luc. Lexiph. 8 et Cephisod. fr. 3
(ed. Mein.) legitur βάρκαρις nec aliter apud scriptores La-
tinos modo baccar baccaris modo bacchar baccharis
scribitur.

5. Nemo audebit Ἀττικὴ separare ab Ἀτθίς: cf. Curtii
el. p. 598, qui utrumque ab ἄστυ derivandum esse valde
probabiliter coniecit. Iam vero, cum apud Hesychium le-
gatur „Ἀτθίς Ἀθῆναι“, vix dubito, quin Ἀτθίς, altero
τ in θ mutato, ex Ἀτθίς natum sit.

6. Apud eundem Hesychium haec glossa exstat „τίτθεν·

31) Utrumque vocabulum non solum patrem sed etiam fratrem
significat: cf. Bekk. an. 441. 11, Suid. s. v. ἄππα, quod vocativus est
nominativi ἄππας, Gramm. post Philem. p. 291 (ed. Osann).

τίπτειν." Hanc formam equidem ex *τίπτεν*, id est Dorice pro *τίπτειν*, natam esse iudico, nonnunquam enim *τι* transit in *π*, praesertim apud Cretenses: cf. Voretzsch, l. l. pag. 11 et M. Schmidt in Kuhnii annall. XII. p. 219.

7. Cretenses scripserunt *ἰθῶντι*, *συνεθῶ*, *ἰθῶντες* pro *ισῶντι*, *συνεσιῶ*, *ισῶντες*: cf. Voretzsch, l. l. p. 13. Quodsi has formas ratione usitata transscribimus, evadunt *ιθῶντι*, *συνεθῶ*, *ιθῶντες*. Iam vero cum non solum Boeotios et Atticos (cf. Curtii el. p. 597 sq.), sed etiam Doricos (cf. Ahrens de dial. Dor. p. 103, Schaefer ad Gregor. Cor. p. 454) *σι* in *π* mutasse notum sit, valde probabile est etiam in Cretensium dialecto *τθ* ad ceterorum, quae attuli, exemplorum analogiam ex *τι* natum esse.

8. Nomen muliebre *Κλεοθῆς* legitur C. I. Gr. 2211^b, ubi haud dubie intelligendum est *Κλειοθῆς* vel *Κλειοτῆς*, ut haec exempla ostendunt: *Ἀμφοτῆς* apud Rangabé 2083. 3, *Ἐμπεδοτῆς* apud Keil, sylloge inscr. Boeott. 13. 4, *Ἐροτῆς* apud Rangabé 2138.

CAPUT VI.

DE CHRONOLOGIA ASPIRATIONIS.

Quod supra in exordio dixi iam ab antiquissimis temporibus tenues cuiusvis sedis ad aspirationem inclinasse eamque sicut fluminis inundationem paullatim et certis gradibus crescentem postremo totam linguam vulgarem veterum Graecorum occupasse, ut inde magnae quaedam urbani sermonis perturbationes proficiscerentur, id nunc accuratius exponam. In chronologia autem aspirationis describenda profecto ea lex nobis sequenda est, ut, quo plures formae alicuius radicis aut stirpis a scriptoribus aspiratae reperiantur, eo maturius ibi tenues evanuisse statuamus. Itaque non dubito, quin quattuor potissimum aetates aspirationis ponendae sint.

Ac primo quidem eas radices aspiratio invasit, quas tam constanter aspiratas videmus, ut nisi ex comparatione aliarum linguarum concludi non possit in his radicibus tenues in aspiratas transisse. Quo in genere versantur hae radices: *φν* (*φυσάω* cf. Curtii el. p. 447) *ἄφ* (*ἄφενος* cf. ib. p. 447), *στεφ* (*στέφω* cf. ib. p. 194) *ταχ* (*ταχύς* cf. ib. p. 445), *μαχ* (*μάχομαι* cf. ib. p. 293), *σχιδ* (*σχίζω* cf. ib. p. 222), *σφαδ* (*σφαδάζω* cf. ib. 222).

Secuntur nunc eae radices, quae fere semper aspirationem habent, quamquam pauca vestigia pristinarum tenuium in ipsa lingua Graeca supersunt, unde concludere licet tenues ibi non tam mature evanuisse quam in iis radicibus, quas modo attuli. Hoc in numero sunt radix *τυκ* (unde *τυχεῖν*), quae servata est in *τετύκοντο* apud Homerum, et *καδ* (unde *χάζω*), quam idem Homerus servavit in *κεκάρδοντο* et *ἐκεκήδει*.

Tertia aetas est eorum vocabulorum, quae, quamquam ex radicibus litteris tenuibus scriptis nata esse multis cognatis vocibus apparet, tamen tam mature aspirata sunt, ut formae tenuibus scriptae prorsus evanuerint: *ἀλείφω* a radice *λιπ* (*λιπαρός* cf. Curtii el. p. 448), *βλέφαρον* a radice *βλεπ* (*βλέπω* cf. ib.) *σαφής* a radice *σαπ* (*ὄπος* cf. Curtii el. p. 408) *κωφός* a radice *κοπ* (*κόπος* cf. ibid. p. 449) etc.

Quartae denique aetati ea vocabula adnumeranda sunt, quae promiscue modo tenuibus modo aspiratis litteris scribuntur, quam confusionem eo tempore exortam esse puto, quo lingua vulgaris magis magisque ad aspirationem inclinaret, quod quidem inde a quinto³²⁾ saeculo factum esse inscriptiones nos docuerunt. Qualium vocabulorum cum iam Curtius (el. pag. 440 sqq.) haud pauca collegerit, satis est ea tantum proferre, quae ille omisit.³³⁾

32) Hoc ad ea potissimum vascula pertinet, in quibus litterarum formae ante Euclidem archontem usurpatae et nigrae figurae conspiciuntur.

33) Ad hanc aetatem etiam perfecta illa aspirata referenda sunt, de quibus egit Curtius „Erläuterungen zu meiner Schulgr.“ pag. 106,

I. Tenuis in aspiratam mutatur, si liquidae aut nasales secuntur:

ἄκημος — ἄκημος: cf. Hesych. s. v. „ἀκημος (corr. ἄκημος) νῆσις“ et eundem s. v. „ἄκημος· ἄσιτος, νῆσις, ἄγευστος ἄρου.“

Βουθρωτός — Βουτρωτός: cf. Etymol. m. 210. 21: „Βουτρωτός ἢ Βουθρωτός“ κ. τ. λ. et Stephan. Byzant. s. v. Βουθρωτός.

ἐκλύειν — ἐκλύειν: cf. Hesych. s. v. „ἐκλύσειν· ἐκλύσειν.“

Θρινακία — Τρινακρία: cf. Strabon. 265: „Τρινακρία μὲν πρότερον, Θρινακία δ' ὕστερον προσηγορέθη μετονομασθεῖσα εὐφρονώτερον.“

θρόνα — τρόνα³⁴): cf. Hesych. s. v. „θρόνα· ἄνθη καὶ τὰ ἐκ χρωμάτων ποικίλματα“ (cf. Hom. II. χ 441) et sub v. „τρόνα· ἀγάλματα ἢ ῥάμματα ἀνθινά.“ Equidem conicio τρόνα vel θρόνα derivanda esse a radice στορ, unde στορέννμι (cf. Curtii el. pag. 195), ut θρόνα proprie significet flores pictos vel ornamenta, quibus vestes et stragula consternuntur. De σ in principio vocabulorum amisso cf. Curtii el. pag. 621 sqq.

μόχλον — μόκλον: cf. Phryn. ed. Lobeck p. 308: „μόκλον μὴ λέγε διὰ τοῦ κ· ἀδόκιμον γάρ· ἀλλὰ διὰ τοῦ χ.“

μυχλός — μυκλός: cf. Hesych. s. v. „μυχλός· σχολιός, ὀχευτής, λάγνης, μοιχός, ἀκρατής. Φωκεῖς δὲ καὶ ὄνους τοὺς ἐπὶ ὀχείαν πεμπομένους“ et s. v. „μυκλοί· αἱ περὶ τὰ σκέλη καὶ ἐν τοῖς ποσὶ, καὶ ἐπὶ ὠτίου τῶν ὄνων μέλαινα γραμμαί. καὶ οἱ λάγνοι, καὶ ὀχευταί.“

πέτακρον — πέτακνον: cf. Hesych. s. v. „πέτακνον· ποτήριον ἐκπέταλον. τὸ δὲ αὐτὸ καὶ πέτακρον.“

ubi addenda sunt *πεφύλακα* apud LXX et in argumento ad Eurip. Med. v. 26 ed. Kirchhoffii, *δεδάρδαφε* apud Hesychium, *τέτεχα* in Etymol. m. s. v. *τεχθήσομαι*), deinde terminationes -θρον pro -τρον, denique scripturae φσ et χσ pro vetustissimis πσ et κσ, de quibus cf. Kirchhoff, Studien z. Gesch. d. griech. Alphab. p. 161 et 247.

34) Postea vidi aliam eandemque probabiliorem etymologiam statuisset Curtium: cf. Wustmann Rhein. Mus. XXIII. p. 238.

ῥιγνοῦσθαι — ῥικνοῦσθαι: cf. Hesych. s. v. „ῥιγνοῦσθαι· κινεῖσθαι ἀσχημόνως“ et s. v. „ῥικνοῦσθαι· διέλκεσθαι καὶ παντοδαπῶς διαφέρεσθαι κατ' εἶδος.“

πλόμος — πλόμος: cf. Galen. ed. Kühn vol. XIII p. 239: „ἔνιοι δὲ διὰ τοῦ π γράφουσί τε καὶ λέγουσι“ et Aristot. hist. anim. VIII. 20, ubi etiam πλομίζειν legitur.

Πλυγόνιον — Πλυγόνιον: cf. Wescher et Foucart, inscriptions de Delphes n. 324, 328, 333, 378, 380 etc., ubi tam constanter Πλυγ. scribitur, ut hanc formam priorem fuisse iudicandum sit.

κνοή — κνοή: cf. Hesych. s. v. „κνοαί· αἱ χοινικίδες, αἱ τοῦ ἄξονος σύριγγες“, s. v.: „κνοήν· τὸν τῶν ποδῶν ψόφον“, s. v. „κνοῦς· ὁ ἐκ τοῦ ἄξονος ἦχος. λέγεται δὲ καὶ κνοή. καὶ ὁ τῶν ποδῶν ψόφος, ὡς Αἰσχλος Σφιγγί. τινὲς δὲ φασιν κνοῦν μὲν ἦχον, κνοήν δὲ περὶ ὃ μέρος τοῦ ἄξονος, ἢ χοινικίς.“

κνός — κνοῦς: cf. Hesych. s. v. „κνός· ξυσμός, ψόφος, φθόγγος“ et s. v. κνοῦς.

κρεμύς — κρεμύς: cf. Hesych. s. v. „κρεμύς· ὁ ὀνίσκος ἰχθῦς“ et Athen. VII. 305^a.

H. si σ antecedit:

ἀσφοδελός — ἀσποδελός: cf. schol. ad Od. λ. 539 et Eustath. ad eundem versum.

Βόσφορος — Βόσπορος: cf. Steph. thes. s. v. Βοσπ. Etiam in codd. Latinis saepe Bosphorus scribitur (cf. Klotz, lex. Latin. I. pag. 701.) Inde etiam nunc Gallice dicitur „le Bosphore.“

Κασθαναία — Κασταναία: cf. Etym. magn. 493. 25, Lycophr. v. 907, Suid. s. v. Κασταναία, Steph. Byz. s. eadem voce.

κίσθος, κίσθαρος — κίστος, κίσταρος: cf. Steph. thes. s. utraque voce.

μασθός — μαστός: cf. Eustath. ad Il. 1258. 57, ad Odys. 1562. 4, Heraclid. apud eundem ad Il. 452. 20, Theophyl. dial. p. 20 (Boiss.). μασθοῖς etiam in titulo Acrae. legitur C. I. Gr. 5430. v. 41 et 47.

Ὀρέσθειον — Ὀρέστειον: cf. Benseleri lex. nom. propr. Gr.

ἕσγλος — ἕσκλος: cf. Steph. thes. s. vv.

ὠσχη — ὠσκη: cf. Etym. m. 825. 2³⁵) et Suid. s. v. ὠσχοφόρια.³⁶)

III. Si nasalis antecedit:

κέμφος — κέμπος: cf. Hesych. s. v. „κέμπος· κοῦφος, ἔλαφρός ἄνθρωπος“ et Nauck, Aristoph. Byz. pag. 84.

σόγγος — σόγκος: cf. Steph. Thes. s. vv.

φάλανθος — φάλαντος: cf. Polluc. onom. 2. 26 et vocabula φαλαντίας et ἀναφαλαντίας.

Apud Boeotios non solum terminatio -ντι transiit in -νθι sed etiam -ντιο in -νθο, -νται in -νθη: Boeckh, Monatsber. d. Berl. Ak. d. Wiss. 1857. pag. 488.

IV. Sed multo maior numerus est eorum vocabulorum, in quibus non tales litteras conspicias, quales vulgo aspirationem amare dicuntur iterumque nunc, ut iam supra dixi (cf. pag. 41) videmus in lingua vulgari aspirationem saepissime etiam in principio vocabulorum ante vocalem aut in mediis vocabulis inter vocales admissam esse.

ἄραχος — ἄρακος: cf. supra pag. 75.

βίχιον — βήχιον: c. supra pag. 76.

βροῦχος — βροῦκος: cf. Theophr. ap. Phot. bibl. 528. 6 ed. Bekker, Hesych. s. v. „βροῦκος· ἀκρίδων εἶδος“ *z. t. l.*, lexica Latina s. v. bruchus.

βρέχος — βρέκος: cf. Hesych. s. v. „βρέχος· κῆρυξ“ et s. v. „βρέκος· κῆρυξ“ *z. t. l.*

βρούχω — βρέκω: cf. Mörid. pag. 99: „βρέχειν Ἑλληνικῶς.“

ἐρείχη — ἐρείκη: cf. supra pag. 75.

θυηρός — θυηκόος: cf. supra pag. 80.

Κανάχη — Κανάκη: cf. schol. ad Arist. nub. 1371 et schol. ad Plat. leg. 839^c.

ζόρχορος — ζόρχος: cf. Arist. vesp. 239 et Hesych.

35) „ὠσχοφόρια, ὄνομα ἐορτῆς· ἀπὸ τῆς ὠσχης τῆς κληματίδος.“

36) „ὠσσαι δὲ καὶ ὠσχαὶ τὰ μετὰ τῶν βοτρύων κλήματα.“

s. vv. „κόροχρον· λάχανον ἄγριον καὶ στέαρ“ et „κόροκος· εἶδος ἰχθύος, ἢ λάχανον ἄγριον.“

μαλάχιον — μαλάκιον: cf. Hesych. s. v. „μαλάκιον· γυναικεῖον κοσμάριον“, Phot. s. v. μαλάχιον, Polluc. ζ. 96.

Μυγάλη — Μυκάλη: cf. Steph. Byz. s. v. Μυκάλη.

οἰχωρός — οἰκουρός: cf. Hesych. s. v. „οἰχωρός· οἰκουρός.“ Hoc vocabulum falso ab ὄρᾶν derivatum esse videtur.

οὐ-χί — οὐ-κί apud Homerum, unde colligi potest etiam ναί-χι et μή-χι ex ναίκι et μήκι (cf. etiam μη-κ-έτι) nata esse.

πλόχανον — πλόκανον: cf. Phot. et Suid. s. v. πλοχ. et schol. ad Plat. Tim. 52 E.

ῥάχη — ῥάκη: cf. Hesych. s. v. „ῥάχη· ἀποραχίσματα καὶ ἀποσπάσματα“ et s. v. „ῥάκη· ἀποραχίσματα καὶ ἀποσπάσματα. ἱμάτια.“

ῥαχία — ῥακία: cf. Poseidipp. ap. Ath. 377^c et Hesych. s. v. „βρακίας· τραχεῖς τόπους.“

ῥώχειν — ῥωκᾶν: cf. Hesych. s. v. „ῥώχειν· βρούχειν τοῖς ὀδοῦσι“ et s. v. „ῥωκῶσα· πρίουσα τοῖς ὀδόντας.“

Σῶχος — Σῶκος: cf. Hesych. s. v. „Σῶχος· ὁ τῶν Κορυθίων πατήρ“ et Preller, mytholog. Gr. I. p. 306 et 308.

χάλανδρα — κάλανδρα: cf. Steph. thes. s. utraque voce.

χάπτω — κάπτω: cf. supra pag. 76.

χέδροπα — κέδροπα: cf. Hesych. s. vv. „κέδροπα· τὰ ὄσπρια“, „χέδροπα· ὄσπριόν τι“ κ. τ. λ., s. v. „χέδροψ· πᾶν ὄσπριον, σπέρμα“ et Erotianum pag. 135 ed. Klein: „χέδροπα· τὰ ὄσπρια οὕτω καλοῦσιν οἱ Ἀτικοί. ἐνιοὶ δὲ διὰ τοῦ κ γράφουσι κέδροπα. Ἀριστοφάνης ὁ γραμματικὸς διὰ τοῦ χ“ κ. τ. λ.

Χορσία — Κορσία sive Κορσειά: cf. Steph. Byz. s. v. Χορσία.

χρηβιάσαι — κρηβιάσαι: cf. Hesych. s. v. „χρηβιάσαι· σκιρτῆσαι“ et s. v. „κρηβιάσαι· ἀποσκιρτᾶν.“

ἀγχιβαθεῖν — ἀγχιβατεῖν: cf. Hesych. s. v. „ἀγχιβαθεῖν· ἐγγὺς βιβηκέναι.“

ἄκνθος — ἄκντος: cf. Etym. magn. 54. 52 „Καλλιμάχος ἄκνθος εἰπὼν μεταλήψει στοιχείου ἐχρήσατο“ κ. τ. λ.

ἄνηθον — ἄνητον: cf. Steph. thes. s. utraque voce.

αὐθῖς — αὐτῖς. Hoc vocabulum haud dubie ab αὐτός derivandum est.

θαρόδιά — τασιά vel τασιά: cf. Hesych. s. v. „θαρόδιά· τασιά“ et Etym. Leid. ap. Gregor. Cor. ed. Schaefer p. 514.

-θύσκω — τίσκω: cf. Hesych. s. vv. „ἐνθύσκει· ἐντυγχάνει, συνθύξω· συναντήσω, ἀποθύσκειν· ἀποτυγχάνειν“ et Homericum τι-τίσκ-ομαι, quod ex radice τυκ vel τυχ (cf. Curtii el. pag. 198) derivandum est.

Ληθώ — Λητώ: cf. supra pag. 68.

σταθεῖν — στατεῖν: cf. Thom. Mag. p. 330. 15 ed. Ritschl, Mörid. p. 341, Aristot. Met. 4. 2. 3, Hesych. s. v. „στατεῖ· θάλλει.“

ἔλφος — ἔλπος: cf. Hesych. s. v. „ἔλφος· βούτυρον Κύπριοι“ et s. v. „ἔλπος· ἔλαιον, στέαρ, εὐθηνία.“

ἐπίορκος — ἐπίορκος: cf. Phryn. pag. 308 ed. Lobeck et Ahrens, de dial. Dor. pag. 83.

λείφητρον — λείπητρον: cf. Hesych. s. v. „λείφητρα· λείψανα.“

ῥάφανος — ῥάπανος: cf. supra pag. 75.

ῥαφίς· ῥαπίς: cf. Hesych. s. v. „ῥαπίς· ῥάβδος, κρηπίς, κώμη, γογγυλίς, οἱ δὲ λαμψάνη“, s. v. „ῥαπίδες· ἐποδήματα, περόναι“, s. v. „ῥαφίς· ἐπόδημα, περόνη, καὶ ἄγριόν τι λάχανον λαμψανῶδες. καὶ ἡ ῥάβδος.“

Ῥιπαῖα scil. ὄρη apud scriptores Latinos (cf. praesertim Ribbeck, proll. ad Vergil. pag. 425) tam constanter Rhiphaei montes appellantur, ut inde concludendum sit iam apud Graecos formam aspiratam τὰ Ῥιπαῖα exstitisse. Prorsus similiter iam Schneiderus in gramm. Lat. I. 204 perspexit apud Graecos genitivum vocabuli γρύψ etiam in -φός exiisse, quia apud scriptores Latinos fere constanter aut gryps, gryphis aut gryphus, gryphi legeretur.

σκηφός — σκηπός: cf. supra pag. 71.

Σκυφία — Σκυπία: cf. Steph. Byz. s. v. Σκυφία.

στροφά — στροπά: cf. Hesych. s. v. „στροπά· ἀστραπή“
et s. v. „στροφαί· ἀστραπαί.“

στύφος — στύπος: cf. Etym. magn. 732. 18³⁷) et Hesych. s. v. „στύπεα· στέλεχος, κορμός καὶ ὁ ψόφος τῆς βροντῆς.“
Eiusdem originis sunt verba στυπάζειν et στυφᾶν, quae apud Hesych. per βροντᾶν explicantur.

τροάφηξ — τροάπηξ: cf. Hesych. s. v. „τροάφηξ· χάραξ, σκόλοψ. ἔνιοι δὲ τὸ δόρυ. ἄλλοι τὸ τῆς νεῶς χεῖλος“ et s. v. „τροάπημι· δόρατι.“

τροόφηξ — τροόπηξ: cf. Hesych. s. v. „τροόφηξ· χάραξ, σκόλοψ“ et s. v. „τροόπηγος· μερὶς τῆς κόπης ὁ τροόπηξ“
z. t. λ.

φᾶνος — πᾶνος: cf. supra pag. 72.

Φάρος — Πάρος: cf. supra pag. 70.

Φερσεφόνη, Φερσέφαττα = Περσεφόνη, Περσέφαττα:
cf. Steph. thes. s. singulis vocibus.

φιντάκια — πιστάκια: cf. Athen. 649^e et Eustath. ad Il. p. 1210. 41.

Φύγελλα — Πύγελλα: cf. supra pag. 71.

φύππαξ — πύππαξ: cf. Hesych. s. v. „φύππαξ· ὄπερ ἡμεῖς βόμβαξ“ et „πύππαξ· τὸ νῦν βόμβαξ λεγόμενον“ z. t. λ.

φῶῦξ — πῶῦξ sive πῶνγξ: cf. Aristot. hist. an. 9. 18.

CAPUT VII.

DE FORMIS

Ταργήλιος — Θαργήλιος.

Notum est τὰ Θαργήλια fuisse festum Athenis et Miletī mense Thargelione Apollini sacro (cf. Hesych. s. v. Θαρ-

37) „στυφελίζειν ... ἀπὸ τοῦ τοῖς στύφεσιν ἐλαύνειν, ὃ ἐστὶ στελέγεσι.“

γήλια) actum idque ab Hipponacte (fr. 36 ed. Bergk) *Ταργήλια* scribi. Apud Anacreontem (fr. 41) et Theogn. can. pag. 57. 21 reperitur etiam nomen *Ταργήλιος*, quem Choeroboscus in Cram. anecd. Oxon. IV. pag. 411. 13 deum fuisse dicit, unde facile conici potest Apollinem intellegendum esse, quem *Θαργήλιον* nominatum esse satis constat (cf. Suid. s. v. *Θαργήλια* et Prelleri mythol. Gr. I. 201.). Cum *Ταργήλιος* autem coniungenda sunt nomina propria *Θαργηλία*, *Θαργήλιος* (cf. C. I. Gr. 5879. 6 et 10) et *Θάρηλιος* apud Nonnum 32. 234; saepissime enim homines a deo nomen acceperunt (cf. Keil, spec. onomat. Gr. pag. 22 sq.).

Quodsi originem horum nominum indagare volumus, proficiscendum erit a stirpe *ταργ* vel *τραγ*, cui haud dubie idem suffixum *-ήλιος* accessit quod cernitur in *γαμ-ήλιος* (unde *Γαμηλιών*), *ἀπατ-ήλιος*, similibus. Iam vero cum *Θαργηλιών* is mensis sit, „*ότε*,“ ut verbis Etym. m. 443. 21 utar, „*ὁ ἥλιος πυρώδης ἐστὶ καὶ τὰ τῆς γῆς ἀνθη ἀνεξηραίνετο*;“ quo τὰ *Θαργήλια*, id est „*πάντες οἱ ἀπὸ γῆς καρποί*“ (cf. ib.) demetuntur et Apollini offeruntur (cf. Hesych. l. l.), facile in eam coniecturam inducimur hanc radicem *τραγ* vel *ταργ* etiam originem esse vocabulorum *τρούγη* et *τρούγειν*, nimirum quod *α* in *υ* transiit (cf. Curtii el. p. 644 sqq.).

Forma *τρογγ* enim, quae comparet in *τρούγη* et *τρούγειν*, easdem significationes habet, quae etiam in vocabulis a forma *τραγ* vel *ταργ* derivandis reperiuntur:

a) *τρούγη* significat calorem et siccitatem apud Nicandrum th. 367 et *τρούγειν* torrere, qua cum significatione optime congruit adiectivum *Θάρηλιος* = *θερμός* (cf. Etym. m. l. l.) et nomen *Θαργηλιών*, qui fuit mensis fervidissimus et omnes fruges ita coxit, ut demeti et percipi possent.

b) *τρούγη* significat fruges ipsas solis calore ita coctas et siccatas (cf. Plin. h. nat. 15. 11, Theophr. causs. pl. 2. 8) ut demeti et percipi possint. Eandem vero significationem habent *Θαργήλια* secundum Etym. m. l. l. et Hesych. s. v. *Θαργήλια*.

c) *τρούγη* significat messem, quae tum demum fieri potest,

cum fruges solis calore satis coctae et quodammodo exsiccatae sunt. Hac cum significatione optime congruit nomen Thargelionis, quo, ut iam supra dixi, messes fieri solebant (cf. Schömann, antt. Gr. II. 434). Radix *τραγ* vel *τρογ* autem, quae proprie est torrere, fervere, quam facile in frugum et messis significationem abire potuerit, ante omnia docet radix *θερ* = calere (cf. Curtii el. p. 433), unde *θέρος* derivandum est, quod prorsus similiter aestatem, id est ardentissimum tempus, fruges et messem significat.

CAPUT VIII.

DE MEDIAE ET INFIMAE GRAECITATIS ASPIRATIONE.

Iam supra (pag. 98) vidimus etiam in media et infima Graecitate nonnulla vestigia veteris aspirationis servata esse. Ne vero credas iam tum omnia eiusmodi exempla a me exhausta esse, nonnulla addo, quae haud dubie etiam adaugeri possunt.

ἀχαμνος, debilis a verbo *κάμνειν* cum *α* prothetico: cf. lexica recent. Graec. s. v.

ἀγλύζειν = *ἀνακλύζειν*: cf. Ducangii glossar. s. v.

δείχω = *δεικνύω*: cf. lexica rec. Graec. s. v.

ὄχ = *έκ*: cf. Passovii glossar. ad carmina popul. Graeciae recent. Lips. 1860.

φατριάοχος = *πατριάοχος* cf. Ducangii gloss. s. v.

φλεμόνι = *πλεύμων*: cf. lex. rec. Graec. s. v.

φοῦχα = *πυκτή*: cf. ib. s. v.

χαμός, frenum, capistrum, quod a veteribus Graecis *κημός* seu *χαβός* appellabatur. Cf. Ducangii glossar. s. vv. *χαμός* et *χαβός* et schol. ad Arist. eq. v. 1150: „*κημός ὁ χαβός ὁ περιτιθέμενος τοῖς ἵπποις*,“ unde apparet in *χαβός* simul *κ* in *χ* et *μ* in *β* transisse. Ceterum *κημόν* sive *χαμόν* a curvatura nominatum esse docent duae glossae Hesychianae: „*χαβόν· χαμπύλον, στενόν*“ et „*χαμόν· χαμπύλον*.“

χρυσάχονιον, lapis Lydius, quo aurum probatur (cf. Ducangii gloss. s. v.). Hoc vocabulum compositum est ex *χρυσός* et *ἀκόνη* = *cos*.

Sed in his veteris aspirationis vestigiis apud Graecos recentiores valde mirandum est, quod in lingua eorum interdum etiam tenuis veteris aspiratae locum occupavit, pronuntiant enim *τέλω*, *ἄνθρωπο*, *πατεῖν*, *λευτερόνω*, *ἐγνωρίστην*, *ἔγω*, *στοκάζομαι* pro *θέλω*, *ἄνθρωπο* etc. (cf. Mullach, Grammatik d. griechischen Vulgärsprache pag. 28, 89, 300.). In his igitur vocabulis contra omnes linguarum leges tenues ex aspiratis natae esse videntur. Sed eiusmodi exceptiones regulae illi a nobis supra (pag. 66) propositae minime repugnant, si quidem error linguae fieri potest. Linguae enim eas litteras, quae paullatim evanescent, nonnunquam in ea vocabula falso inferunt, a quorum origine prorsus alienae sunt, quod observatur in spiritu aspero apud Graecos et Romanos (cf. Curtii el. pag. 613) et in diphthongo au apud Romanos, quae postquam plerumque in o transit tamen falso inrepsit in ausculum pro osculum, austium pro ostium, austrum pro ostrum (*ὄστρειον*), aurichalcum = *ὀρείχαλκος*, aliis: cf. Schneideri grammat. Lat. I. pag. 59 et Indicem grammat. ad C. Inscr. Lat. Berol. s. v. au pro o. Quemadmodum igitur, postquam tenues cuiusvis sedis in aspiratas transierunt, in inscriptionibus saepe etiam tenuem aspiratae locum occupasse vidimus, cum lapicidae nescirent, utra littera scribenda esset in vocibus saepissime cum falsa aspiratione pronuntiatas: sic etiam posteriores Graeci interdum in ipsa pronuntiatione errare potuerunt, qui quidem error in quibusdam vocabulis inveteravisse videtur.

CAPUT IX.

DE PRONUNTIATIONE ASPIRATARUM.

Sed quoniam de finibus, quibus aspiratio Graeca continetur, satis dixisse mihi videor, in ipsam pronuntiationem

aspiratarum veterum nunc inquirendum est, ut etiam rationem et naturam illius transitus accuratius perspicere possimus.

Qua de re difficillima (semper enim difficile est in eos sonos inquirere, quos nunquam audiveris) variae hodie sunt virorum doctorum sententiae et adhuc sub iudice lis est. Ei igitur, cui eandem rem retractare propositum est, triplex via patet, qua haec quaestio ad finem perducī possit: aut enim nova quaedam pronuntiandi ratio investiganda aut una tantum pristinā sententiarum probanda aut eclectica, quae dicitur, via sequenda est, qua plures ac diversas litterarum χ φ ϑ pronuntiationes olim fuisse itaque diversas recentiorum sententias inter sese quodammodo conciliari posse demonstretur.

Ac primum quidem de illorum sententia iudicandum est, a quorum parte nunc imprimis Georgius Curtius stat, qui in veterum aspiratarum pronuntiatione simul tenues et spiritum asperum auditum esse putavit, unde sequitur, ut aspiratae Graecae non diversae fuerint a duris illis aspiratis, quae per kh ph th transscribendae sunt. Ad quam sententiam vir doctissimus ob eam potissimum causam adductus esse videtur, quod negari non potest veteres aspiratas plerumque duplicis soni instar fuisse (cf. Curtii ell. pag. 370 sqq.). Sed quo rectius de hac re iudicemus, ante omnia eorum testimonia audienda sunt, qui aspiratas duras accuratius descripserunt: Brücki, Arendti, Roseni. Qui viri in eo prorsus consentiunt, quod aspiratas duras kh ph th a nostris, id est Germanicis, tenuibus fere nihil diversas esse testantur. Ait enim Brückius, Grundz. d. Physiol. d. Sprachl. pag. 57 sq.: „Wenn auf die Tenuis ein Vocal folgt, so kann man entweder unmittelbar nach Durchbrechung des Verschlusses die Stimmritze zum Tönen verengern, so dass der Ton der Stimme sofort anklingt, oder man kann damit zögern, so dass eine kurze Weile der Athem frei durch die offene Stimmritze zum offenen Mundcanal herausfließt und erst dann die Stimme einsetzt. Im

ersteren Falle tönt die Tenuis rein, im zweiten aspiriert.... Wir Deutschen aspirieren vor Vocalen die Tenuis fast immer, wenngleich nur schwach, so dass unser daran gewöhntes Ohr es gar nicht mehr bemerkt; es wird uns aber sogleich auffällig, wenn wir die reinen Tenues hören, welche die Slaven beim Deutschsprechen zu bilden pflegen.“

Arendtius (cf. Kuhns u. Schleichers Beitr. II. pag. 296): „Ein Muhamedaner aus Indien, der, da er in seiner Sprache reine und aspirierte tenues unterscheiden muss, gewiss über diese Laute ein richtiges Urtheil haben konnte, glaubte im Deutschen vor Vocalen stets aspirierte tenues zu vernehmen: er vernahm Thaube, nicht Taube.... Dies bestätigt vollständig Brückes Behauptung“ etc.

Idem etiam Rosenius in commentatione de lingua Osseta (cf. Abhandl. d. Berl. Akad., hist.-phil. Classe 1847 p. 364) testatur: „Bei den aspirierten th, ph, kh hört man, wie im Sanskrit, den Hauch nach der Muta. Doch ist im Ossetischen der sie begleitende Hauch so gering, dass man sie fast ganz den Tenues in unseren Sprachen gleichsetzen kann. Die entsprechenden k, p, t sind ausserordentlich hart und so hauchlos, dass man bei vorsichtiger Aussprache den folgenden Vocal davon getrennt hört. Diese Buchstaben werden dem Ausländer sehr schwer.“

Ac primum quidem ex hisce testimoniis concludendum est errare Raumerum (Aspiration pag. 85), Schleicherum (Zetacismus pag. 128), Rumpeltium (Deutsche Gr. I. pag. 44), qui aspiratas duras kh ph th tam difficilem pronuntiationem habere iudicarunt, ut in ceteris linguis (praeter Sanscritam et Bactrianam) iam mature evanuerint.

Deinde, antequam cum Curtio Graecorum aspiratis eandem quam in linguis Indicis et Persicis pronuntiationem tribuamus, ante omnia probandum erit etiam tenues Graecas olim eandem pronuntiationem habuisse. Etenim si tenues Graecas altera ratione (sicuti Germanicas tenues, quibus ante vocales semper spiritus quidam asper additur) pronuntiatas esse putaremus,

ante vocales fere nihil discriminis inter tenues et aspiratas interfuisset, id quod ab omni specie veritatis abhorrere videtur.³⁸⁾ Non solum enim lex illa euphonica, quae vetat binas syllabas sequentes ab aspirata incipere, sed etiam Scytharum et Triballorum exempla, qui ab Aristophane deridebantur, quod aspiratas pronuntiare non possent et illa X testimonia scriptorum, quae supra attuli, aperte docent iam antiquissimis temporibus aspiratas a tenuibus multum diversas fuisse. Ceterum idem etiam ex iis nominibus concludi potest, quae grammatici Alexandrini singulis mutarum litterarum generibus dederunt. Eo enim tempore $\beta \gamma \delta$ mediae fuerunt inter tenues et aspiratas, unde sequitur aspiratas plus similitudinis cum mediis quam cum tenuibus habuisse.

Itaque, quamquam illam tenuium pronuntiationem apud veteres Graecos non prorsus negaverim, tamen adhuc dubito, num ea probari possit et hanc ob causam Curtii de aspiratis Graecis opinionem nondum ab omnibus dubitationibus³⁹⁾ liberatam esse iudico.

Fere nullis eiusmodi dubitationibus altera via est obnoxia, quam inivit Raumerus in libello de aspiratione, quem edidit Lipsiae anno 1837. Hic enim cum aspiratas Grae-

38) Hanc opinionem Schmitzius in progr. gymnas. Marcodur. (1863) sequitur, qui aspiratarum et tenuium pronuntiationem ab initio tam similem fuisse putavit, ut confusiones illae, quae in titulis reperirentur, inde explicandae essent. Sed longe aliam explicandi viam ineundam esse supra demonstravi. Nam si Schmitzius recte iudicasset, necesse esset, ut etiam a scriptoribus tenues et aspiratae inter sese confunderentur, quod ne in uno quidem vocabulo demonstratum est. Numquam enim scriptores aspiratam in tenuem mutaverunt.

39) Etiam illud addi potest his dubitationibus quod, si Curtium sequimur, non intellegimus, quo pacto Polybius et alii scriptores f Romanorum Graece per φ transscribere potuerint. Quantum enim discrimen inter Romanorum f et Germanorum p (ante vocales) intercedat, manifestum est. Ac porro haud probabile est in tot vocabulis medias aspiratas bh, gh, dh transisse in $\varphi \chi \vartheta$, si hae litterae tenuium Germanicarum sonum habuissent.

cas (sicut etiam Curtius) ex duabus partibus compositas esse videret, post tenues, vel potius una cum iis non spiritum asperum sed spirantem quandam auditam esse iudicavit; quae quidem nascitur, si eodem fere statu linguae et oris, quo tenues litterae pronuntiantur, servato spiritus ex arteria evadit: cf. Brücke, l. l. pag. 59: „Denken wir uns nun, dass der Verschluss nur ein wenig geöffnet wird, so muss der Tenuis als Aspiration das entsprechende Reibungsgeräusch oder, wie sich die Sanskritgrammatiker ausdrücken, „der correspondierende Wind“ folgen. Wir erhalten pf, ts, kχ, von denen sich ph, th und kh lediglich durch die Grösse der Oeffnung unterscheiden, welche unmittelbar nach Lösung des Verschlusses im Mundcanal gebildet wird.“ Tales igitur sonos Brückius per kχ pf ts describendos esse putat: equidem, quoniam in lingua Graeca versamur, hanc descriptionem χ = κχ, φ = πφ, τ = τϑ praetulerim. Quamquam enim tenues et spirantes in his affricatis, qui dicuntur, sonis plerumque sic in unum coaluerunt, ut simplices litterae audiri viderentur (etiam Brückius eos simplicibus consonantibus adnumerat⁴⁰) et Priscianus pag. 10 ed. K. haud dubie aliis auctoribus usus aperte dicit „consonantibus aspirationem sic cohaerere, ut eiusdem paene substantiae sit“, tamen certissima nobis testimonia⁴¹) relicta sunt, ex quibus appareat, aspiratas χ φ ϑ interdum etiam duplicis consonantis vim habuisse ideoque affricatos illos sonos, qui medium locum tenent inter simplices et duplices consonantes, in lingua Graeca quondam re vera auditos esse.

Ac primum quidem ea vocabula enumero, in quibus aperte iuncturae κχ πφ τϑ pro simplicibus χ φ ϑ positae sunt.

1. Ex radice vagh (cf. Curtii el. p. 175) derivanda sunt οκχος pro ὄχος apud Pind. Ol. 6. 24, ὀκχῆ pro ὄχῆ apud

40) Cf. etiam Scherer, z. Gesch. d. deutschen Sprache pag. 49.

41) Quae apud Raumerum desiderantur.

poetam ignotum (cf. Suid. s. v.), *ὀκχέω* pro *ὀχέω* apud Pind. Ol. 2. 74 et Callim. h. in Jov. 23. Cf. etiam Hesych. s. v. „ὀκχεῖν· φορεῖν, ἴσχειν.“

2. Notum est saepius apud tragicos legi *λακχέω* et *λακχή* pro *λαχέω* et *λαχή*, quae vocabula quin ab *λάχω* derivanda sint dubitari non potest. Meo autem iudicio *λάχω*, quod in carminibus Homericis aperte digammi vestigia servavit, ex radice *Fa* (cf. Curtii el. p. 347) natum est, quae simul spirare et clamare significat. Etenim ex radice *Fa*, si reduplicatio additur et *χ* determinativum, quod dicitur, accedit (cf. *ψάω* — *ψήχω*, *σμάω* — *σμήχω*, *τρώω* — *τρήχω*), fit *Fi-Fá-χω*, *Fi-Fa-χή* etc. nec dubito, quin etiam Dionysi cognomina *Ἰακχος* (in vasculo Monacensi n. 373 apud Iahnium *Ἰαχος*, quod est satyri nomen, legitur) et *Βάκχος* huc pertineant, quorum etymologiam Curtius el. pag. 506 adhuc perobscuram esse iudicavit. Nam si vetustissimam formam *FίFαχος* vel *FίFακχος* fuisse putamus, facile inde digammo sublato (cf. Curtii el. pag. 506) *Ἰακχος*, reduplicacione dempta et digammo in *β* mutato (cf. Curtii el. pag. 514—20) *Βάκχος* fieri potuit. *FίFαχος* igitur significat clamatorem, clamores enim et iubilaciones quanti momenti in cultu Dionysi fuerint, satis notum est: cf. Prelleri mythol. Gr. I. pag. 523 et alia cognomina dei *Εὔτιος* (cf. *εὐάξειν*), *Ἰγγίης* (cf. *ἰγγή*, *ἰύξειν*), *Βρόμιος*. Ceterum iam antiqui grammatici *Ἰακχον* ab *λάχω* derivarunt, ut ex Etymologico magno pag. 462. 49 apparet. Idem transitus simplicis *χ* in iuncturam *κχ* etiam in *βροίακχος*· *θηλυκῶς ἢ βάκχη*, *ἢ βριαρῶς λακχάζουσα*“ (Etymol. m. p. 213. 26) observatur, *Βροίακχος* enim satyri nomen bis legitur in vasculis cf. Müller, Handb. d. Archaeol. §. 385. 7 et C. I. Gr. 7465 et 8227, quod vocabulum aperte ex *βροί*·⁴²⁾ „ἐπὶ τοῦ μεγάλου, καὶ ἰσχυροῦ, καὶ χαλεποῦ τίθεται“ (Hesych.) et *Fαχος* compositum est.

42) Hoc *βροί*, quod etiam in *βροί-ἀρεως*, *βροί-αρός*, *βροί-ήπνος* reperitur, eum Graeco *ξρι-* et Indico varu (cf. Curtii el. p. 70) cognatum esse videtur.

3. *κακάζω* (cf. Hesych. s. v. „κακάζει· ἀτάκτως γελᾷ“ *κ. τ. λ.* et Athen. 615^e) natum est ex *κακάζω*, quod optime congruit cum Indorum *kakhāmi* (cf. Grassmann in Kuhnii annall. XII. 98). *X* etiam in *φ* transisse (cf. Curtii el. pag. 423 sq.) docent glossae Hesychianae „καφάζοι· κακάζοι, γελᾷ“ et „καφάζειν· γελᾶν.“

4. Ex radice *θα* (cf. Curtii el. pag. 227) derivanda sunt *τι-θή-νη*, *τί-θή* (*τρόφος* cf. Hesych. s. v.), *τί-τθη*, *τι-τθεύω*.

5. *Πίθος* fuit nomen pagi Attici, qui in titulis et codicibus nonnumquam *Πίθος* scribitur (cf. Benseler, Wörterb. d. griech. Eigennamen s. vv. *Πίθος* et *Πίθος*).

6. Ex radice *σκαπ* vel *σκαφ* (cf. Curtii el. p. 152 et 645) *σκύφος* vel *σχύφος*⁴³) derivandum est. Cf. praesertim Hesiodi testimonium apud Athen. p. 498^a:

„Ἡσίοδος δ' ἐν τῷ δευτέρῳ Μελαμποδίας σὲν τῷ π σκύφρον λέγει·

„.....Τῷ δὲ Μάρης θόος ἄγγελος ἦλθε δι' οἴκον
πλήσας δ' ἀργύρεον σκύφρον φέρε, δῶκε δ' ἄνακτι.““

7. Valde probabiliter Curtius in el. pag. 629 coniecit nomen *Σαφώ* a *σοφός* derivandum esse. Itaque etiam in hoc vocabulo iunctura *πφ* locum simplicis *φ* occupasse videtur. *Σαφώ* legitur in vasculo Monacensi apud Iahnium n. 753.

8. Ex inscriptionibus haec exempla accedunt:

a—b) In titulo Tegeatico C. I. Gr. 1513 legitur *ἀνατεθειμένοις* pro *ἀνατεθειμένοις*, ad quam scripturam Keilius in anall. epigr. pag. 72 haec adnotat: „*ἀνατεθειμένοις* non videtur neglegendum esse. Nam qui confert titulum Theraeum in Intellig. d. allg. Litt. 1835 n. 73 et in Rossii Reisen auf d. griech. Inseln I. p. 64. v. 4 „*βάτθρα τάδε*“ cum nota „in der Lesung *ΒΑΤΘΡΑ* (also *βάτθρα*) stimmen beide Abschriften überein,“ is non dubitabit, quin in his vitium habeatur pronuntiationis non inusitatum.“

43) Cf. Athen. p. 499^e „τὸ δὲ σκύφος ὀνομάσθη ἀπὸ τῆς σκαφίδος. καὶ τοῦτο δ' ἔστιν ὁμοίως ἄγγειον“ *κ. τ. λ.*

c) *Πλάθειον*, nomen muliebre in inscriptione Dorica a Benselero in lex. nomin. propr. Graec. aptissime comparatur cum *Πλαθαίνη*, *Πλαθαίνις*, *Πλαθάνη*, similibus.

Deinde nonnulla vocabula exstant, in quibus non ipsa scriptura sed metrum testatur aspiratas duplicis consonantis vim habuisse:

1. *ῥφισ* interdum trochaeum efficit: cf. Il. 12. 208, Hipponact. fr. 49 (ed. Bergk): „ἦν αὐτὸν ῥφισ τῶντικνῆ-
μιον δάκνη“, Antimach. apud schol. in Aristoph. Plutum v. 718: „Τήνου τ' ὀφιοέσεως...“, quod est hexametri initium.

2. *βρόχος* trochaeus est apud Theogn. v. 1099.

3. *σοφός*⁴⁴⁾ trochaice legendum est apud Arist. Eccl. v. 571: „νῦν δὴ δεῖ σε πικνὴν φρένα καὶ φιλόσοφον ἐγείρειν.“

4. *Ζεφρυίη* choriambum efficit in initio hexametri Od. 7. 119.

5. *πιφάσκειν* saepius syllabam reduplicativam, quae in aliis verbis (excepto *Σίσυφος*⁴⁵⁾ semper brevis est, producit: cf. Passovii lex. s. v. Ceterum his exemplis Homericis non multum tribuo, quoniam saepius eiusmodi productiones etiam ante alias consonas apud Hom. reperiuntur. Hoc tantum significare volo in talibus vocabulis legendis illam aspiratarum pronuntiationem, quam probavi, verisimilem esse.

6. *κεκρύφαλος* modo longum modo breve *v* habet.

Confirmatur autem mea de aspiratarum Graecarum pronuntiatione sententia etiam nonnullis observationibus grammaticis, quae, si alteram rationem sequere, explicari vix possunt.

a) Iam antiquissimis temporibus *ϑ* apud Laconas in *σ* transiit. Inde concludo, antequam *σ* evaserit, aut affricatam aut spirantem (quae quidem plerumque ex affricata nascitur) auditam esse.

44) Cf. quod supra de formae *Σαπφώ* origine diximus.

45) Cf. tamen etiam Hesych. s. v. „σέσφυος πανοῦργος.“

Similiter etiam Angli th saepe ita pronuntiant, ut secundum Brückium l. l. pag. 40 d⁴z⁴ audiri videatur: cf. etiam Raumerum l. l. §. 27, 28, 37.

b) Idem sequitur ex eo quod interdum φθ et χθ in ψ et ξ transierunt, velut in ψίσις — φθίσις, ἐψίσθη — ἐφθίσθη) cf. Hesych.), ψίνομαι — φθίνομαι (id est flaccescere apud Theophr. h. pl. 4. 14. 6), ψινάδες — φθινάδες (id est vites flaccescentes apud Theophr. teste Hesychio, Photio, Suida), ψινάζει — φθινάζει (cf. Hesych. et Suid. s. v.), διψάρα — διφθέρα (cf. Hesych.), ψείρει — φθείρει (cf. Hesych.), ψήρα — φθείρ (cf. Ducangii gloss. s. v.), μόροξος — μόροχθος, ἔξιστ(ι)ον — ἔχθιστον (cf. Hesych.), Ἐ[ρ]έχσες, id est Ἐρέξης pro Ἐρεχθεύς in vasculo Monacensi apud Iahnium, Beschreibg. etc. n. 376, quocum confer Γηρονεύς — Γηρόνης, Ὀδυσεύς — Οὐλίξης, Περσεύς — Πέρσης, Θεμιστεύς — Θεμιστής, Ἀχιλλεύς — Achilles similia.

c) Iam antiqui quidam Graecorum grammatici, ut ait Priscianus I. pag. 11 (ed. Hertz, cf. etiam Sextum Empir. adv. mathemat. I. 102) dubitabant, utrum χθφ mutis an semivocalibus annumeranda essent. Quae dubitatio fieri non posset, si kh ph th pronuntiatum esset, tales enim soni semper muti sunt: cf. Brücke pag. 92.

d) Recentiores Graeci, ut ait Brückius pag. 90, χ interdum sic pronuntiant, ut κχ audiri videatur. Nimirum in hoc sono antiqua illa pronuntiatio, quam probavi, servata est.

e) Gravissima denique est linguae Germanicae analogia, in qua tenues k p t primum in sonos affricatos, qui dicuntur, deinde in spirantes transisse notum est, ut haec tabula demonstrat:

Tenuis. Affricata. Spir.

Gutt.	. k . .	keh . .	ch	} cf. Raumerum l.l. §§. 47, 57, 30 et Rumpelt, D. Gr. I. p. 46.
Dent.	. t . .	ts . .	s	
Lab.	. p . .	pf . .	f	

Iam vero cum spirantes Germanicae (ch, f, s) haud

diversae sint a spirantibus recentiorum Graecorum $\chi\varphi\vartheta$ ⁴⁶⁾ (ϑ enim a Brückio l. l. pag. 39 per s⁴ circumscribitur), valde probabile est etiam apud Graecos tenues primum in affricatas, deinde in spirantes transisse, unde sequitur, ut omnino veteres aspiratae olim affricatarum instar fuerint.

Sed quamquam omnia, quae adhuc attuli, optime cum sententia mea congruere videntur, tamen unum addo, quod silentio praeterire nolui.

Fortasse enim quispiam dixerit iuncturas illas aspiratarum $\chi\vartheta$, $\varphi\vartheta$, $\chi\chi$, $\varphi\varphi$, $\vartheta\vartheta$ (cf. supra pag. 89 et 104), si in iis tales soni, quales ego probavi, inessent, pronuntiari nullo modo posse.⁴⁷⁾ Quae res cum negari vix possit ac cum iuncturas $\chi\vartheta$ et $\varphi\vartheta$ haud multum a ξ et ψ , quae antiquioribus temporibus constanter $\chi\sigma$ et $\varphi\sigma$ (in his vero χ et φ spirantium vim habuisse videntur, quoniam difficillimum est aut khs et phs⁴⁸⁾ aut kchs et pfs pronuntiare) scribuntur, a fuisse modo demonstraverim, valde probabile est, quod primus Arendtius (Kuhns und Schleichers Beitr. II. p. 424 sqq.) explorasse videtur, in eiusmodi iuncturis $\chi\varphi\vartheta$ spirantium instar fuisse.

Confirmatur haec sententia etiam observatione Brückii, quam protulit l. l. pag. 90:

„Man könnte aus dieser Stelle (Dion. Hal. de compos. c. 14) schliessen, dass φ eigentlich p¹f¹ gelautet habe,

46) Quas saepe ex tenuibus aspiratione facta natas esse supra demonstravimus.

47) Idem argumentum Arendtius (Kuhns u. Schleichers Beitr. II. pag. 424 sqq.) contra eos protulit, qui aspiratas Graecas ab Indicis haud diversas fuisse contenderunt. Nam tales aspiratarum iuncturae in lingua Sanscrita prorsus inauditae sunt.

48) Cf. Brückium l. l. pag. 58 med.: „Wenn ein Consonant auf die Tenuis folgt, so kann sie zwar auch aspiriert werden, indem man ein h zwischen ihr und dem folgenden Cons. hören lässt, aber es geschieht seltener, weil sich das h, bei dem der Mundcanal weit geöffnet sein muss, schlecht zwischen einen Verschlusslaut und einen andern Consonanten einschiebt.“

ebenso wie das χ im Munde der Neugriechen bisweilen $k\chi$ lautet, aber das wird schwer zu entscheiden sein, da p vor f so leicht verschwindet. Ist doch z. B. in Norddeutschland die Aussprache des pf so nachlässig, dass die Eingebornen oft das Plattdeutsche zu Rathe ziehen müssen, um sich zu erinnern, ob sie pf oder einfaches f zu schreiben haben.“

Quodsi apud Graecos recentiores fere constanter affricatae veteres in spirantes transierunt: quid obstat, quominus in iuncturis $\chi\theta$, $\varphi\theta$, $\chi\zeta$, $\varphi\varphi$, $\theta\theta$, quibus etiam $\kappa\chi$ $\tau\theta$ $\pi\varphi$ addi possunt, iam antiquitus spirantes auditas esse statuamus? Idem etiam ex linguae Oescae et Goticae analogia concludi potest, in quibus pt et ct transeunt in ft et ht (ubi f et h aperte spirantes sunt), quae iuncturae vix multum diversae sunt a Graecis $\varphi\theta$ et $\chi\theta$, quas interdum ex $\pi\tau$ et $\kappa\tau$ natas esse supra (pag. 104 sq.) demonstravimus.

Ut igitur summam eorum, quae hoc capite disserui, repetam, meo iudicio tenues litterae in aspiratas transierunt, si clausura oris, qua ad tenues pronuntiandas opus est, paullum laxabatur, ut spiritus iuxta evadere posset: sic enim secundum recentiores physiologos (cf. etiam Scherer, z. Gesch. d. deutschen Spr. pag. 68⁴⁹) illi soni existunt, quos medium locum inter simplices et duplices consonantes tenere modo demonstravi.

49) „Die Affrication hat man ohne Zweifel als Erleichterung aufzufassen. Anstatt sehr festen Verschluss plötzlich und gewaltsam zu öffnen, wird er weniger fest gemacht und allmählich geöffnet, so dass sich erst noch Enge bildet und Reibung der ausströmenden Luft stattfindet.“

Addendum.

Pag. 89 adde: Ὁρειμαχχος in vase. C. I. Gr. 7463.

NB. Cum haec dissertatio ectypum sit ex libro, qui inscribitur: „Studien z. griech. u. lat. Grammatik, herausg. v. G. Curtius, zweites Heft,“ factum est, ut paginarum allatarum numeri non congruant cum ectypi paginis. Itaque hanc tabellam confeci, in qua numeri paginarum allatarum cum ectypi paginis comparati sunt.

66 = 2, 67 = 3, 68 = 4, 70 = 6, 71 = 7,
72 = 8, 75 = 11, 76 = 12, 79 = 15, 80 = 16,
81 = 17, 82 = 18, 83 = 19, 85 = 21, 87 = 23,
88 = 24, 89 = 25, 91 = 27, 97 = 33, 98 = 34,
104 = 40, 107 = 43.







LIBRARY OF CONGRESS



0 003 370 265 6

